



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Agens De Rebus Ecclesiæ Sacris, & profanis, earumque usu, acquisitione,
conservatione, & alienatione

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Titulus VII. De variis Contractuum generibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61834)

Addit. Iul. Clarus comperisse se, quod *Senatus* (Mediolanensis) expresse reiecit gratiam, quam obtinuerat quidem *Georgius Barata* uxoricida à filiis communibus eorumque tutoribus specialibus, volueritque simul fratres, & agnatos occisæ uxoris in prædictam pacem consentire. E contrario approbatam fuisse gratiam cuiusdam *Dominae de Cabianis*, quæ maritum in rixâ occiderat habitâ remissione tantummodò à filiis: fortè quia non militat ratio metus reverentialis in Matre, prout in Patre. Ex quibus colligere licet per se & absolute eiusmodi transactiones non esse certas, & firmas, sed ab arbitrio Magistratus pendere. Fieri potest, ut expediat, acceptare, & approbare; quod ex circumstantiis sumendum erit. Fieri è converso potest, ut minimè expediat bono communi tam horrenda scelera impunita relinquere, & in similia animare improbos. Modum dabit prudentia, & æquitas.

XIII. Procurator ab offenso constitutus, quamvis mandatum habeat *cum libera*, & generali administratione, cum eo, qui offendit, non potest transigere aut pacem constituere. *Speculator in Rubr. de treuga & pace num. 4.* & servati in praxi testatur *Nellus in Tr. de bannitis Par. 3. Q. 37.* Pro ratione allegari potest, quòd in mandato *cum libera* non comprehenduntur ea, quæ verosimile est, non concessurum fuisse constituentem, si prævidisset. Remissio autem debiti liquidi donationi æquiparatur. Non dubito tamen, quin particulari aliquo in casu aliter fieri queat, puta, si consideratis facti, & personæ circumstantiis procurator de domini sui voluntate prudenter audeat præsumere, non fore ingratum illi, si in commodum, ac favorem ipsius cum offensore transigat, aut pacem ineat. *V. Iul.*

Clarum §. fin. Q. 58.

n. 28.

TITULUS VII.

De variis Contractuum generibus.

Quæ minus propriè loquuntur, cum *Q*ualdo Contractuum tria genera faciunt. In primo propriè dictos, in secundo impropiè, in tertio impropiè dictos collocant. Propriè dicti utrimque obligationem pariunt: impropiè dicti in unâ parte tantum. Reliqui non tam obligationem quam deobligationem, seu liberationem continent, cuiusmodi est acceptulatio, seu imaginaria

solutio, quâ simulamus à debitore nobis satisfactum. *Instit. Quib. mo. toll. obl. & l. Vbi pactum. C. de transact.* Aliqui Distractus vocant. Nostro instituto conformiter de primis duobus generibus expressè so-agendum erit: de reliquis quasi per accidens, prout materiam necessitas, & connexio postularit:

Bbb 3

§. I. De

§. I.

De Contractibus Generatim.

I. **C**ontractus aliud nihil est, quam *ultra citroque obligatio*, Græcis *συνδλλαγμα*. l. 19. *Labeo ff. de verb. signif.* Sic per effectum describitur. Definitio plenior est ista. *Contractus est pactum ex quo vel utrimque, vel altera ex parte nascitur obligatio*. Dicitur 1. *pactum*, quia huic velur generi species subest. Neque enim pro *Synonomis* accipienda sunt. 2. *ex quo, vel utrimque &c.* ut comprehendat *strictè*, & late sumptos in quibus unum tantum contrahentium obligatur, quem admodum in donatione acceptata contingit. 3. *Per obligationem* intelligo tum naturalem, quæ ex ipsa rei natura oritur, & à iure civili non impeditur; tum civilem, quæ iuris humani statuto nascitur, & ab eodem iure fovetur concedente actionem parti adversus partem. Obligatio quid sit, supra explicatum est, *Tit. præc. §. 1. n. 6. V. Onnatum Tr. 1. Sect. 6.*

II. Contractus aliqui sunt nominati, alii innominati. *l. iuris gent. iustio ff. de Pactis*. Nominati proprium, & specificum nomen habent; Innominati carent. Species quatuor sunt, *Do. ut des. Do. ut facias. Facio ut facias. Facio ut des.* Reducuntur eò qui terminis negativis explicantur *Do. ut non des. Do. ut non facias &c. l. Naturalis, ff. de præscr. verbis*. In dubio innominatus censetur, de quo aliud non constat. *l. 1. & 2 ff. de verb. signif. V. Tholos. l. 22. c. 1. Connan l. 7. c. 15. V. Vesenbec. l. 19. ff. tr. 5. ubi annotat. 1. huius generis Contractus, quia circa rerum commercia versan-*

tur, actionem civilem parere, cuius propter negotiorum varietatem certa forma non sit, sed præscriptis à prætore verbis perficiatur, 2. Quoniam plura sunt negotia, quàm rerum vocabula *l. 4 ff. de præscr. verbis*, repetiri contractus, qui nec specificum nomen habeant, nec ad innominatos reduci possint; in quibus tamen actio præscriptis verbis locum habeat. Differunt præterea, quod Contractus nominati pariunt non solum exceptionem, sed etiam actionem, & obligationem civilem; contractus verò innominati exceptionem quidem pariunt, non tamen actionem, & obligationem civilem. *l. 1. & l. 7 ff. de pactis*. 2. Contractus nominati sunt bonæ fidei: innominati verò stricti iuris. 3. In contractibus nominatis lata interpretatio facienda est, secundum iura ipsius contractus, in contractibus innominatis interpretatio stricta locum habet. 4. in contractibus nominatis non admittitur penitentia, at in innominatis admittitur. *l. Sicut. C. de oblig. & act. 5.* In contractibus nominatis metus dans causam contractus irritat illos ipso facto. At innominati non ipso facto irriti, sed irritabiles habentur. *l. 1. & seq. ff. Quod metus causa* 6. In contractibus nominatis dantur actiones nominatæ iuxta cuiusque propriam denominationem, puta, ex empto, conducto, locato. Innominati verò, quia specifico nomine carent, nullam communicare possunt. Sed hæc, ut alia quædam in iure Canonico non agnoscuntur, sed tam innominati, quam nominati Contractus actionem pariunt, *Bald in Rubr. C. de rer. permūt. V. Onnate Tract. 1. Disp. 2. n. 98. & seq. 2.* Alii Contractus sunt bonæ fidei, alii stricti iuris. In his attendimus præcisè ad

ad id, de quo conventum est, in illis æquitate, & arbitrio Iudicis vel arbitri multum tribuitur. Bonæ fidei sunt emptio, locatio, conductio, negotia gesta, mandatum, depositum, commodatum, pignus. Stricti Iuris Mutuum, stipulatio, donatio, feudum, & similes. *Instit. de act. §. Actionum.* Omnes contractus bonæ fidei esse Iure Canonico docet Bald in c. 1. de plus petition. & lafon in §. actionum n. 4. & in §. quadruplici fin. de act. Item Lancel. Galiev. in l. 4. §. Cato ff. de verb. oblig. quibus tamen Covarr. Par. 2. §. 6. de bo. si. in præscript. nu. 5. fortiter contradicit, eò quod nullibi in Iure Canonico reperitur improbata distinctio in Contractibus bonæ fidei, & stricti iuris. 3. alii sunt gratuiti, seu lucrosi, alii non gratuiti, sed onerosi. In his onus reciprocum, in illis nullus pretii aut mercis respectus est. Onerosi sunt emptio, venditio, locatio, Societas, permutatio. Lucrosi donatio, mutuum, Commodatum, precarium, depositum. Eadem est divisio quoad rem, in absolutos, & respectivos: Mutuum, & non mutuum. *V. Onnatum. Disp. 24. 4.* In quibusdam transfertur dominium etiam directum, ut in venditione, donatione, mutuo, & permutatione: in aliis non transfertur nisi dominium utile, cuiusmodi est, emphyteusis, feudum, libellus: in quibusdam aliis tantum usus, ut Commodato, & precario, & locatio. In aliis denique non nisi retentio rei, ut deposito, pignore, & hypotheca. Neque enim licet depositatio nisi re deposita, nisi certis in casibus, ut suo loco videbimus. 5. Alius Contractus re perficitur, alius Scriptura, seu literis, alius verbis, alius consensu. Re perficitur, in quo non ex sola conventionione, sed ipse rei tra-

ditione obligatio nascitur. Sic fit Commodatum, Depositum, Mutuum, Permutatio. Scripturâ perficitur, qui ante Scripturam ratus non habetur, uti emphyteusis, & quemcunque contrahentes absque Scriptura, & Notario nolunt validum esse. *Verbis* perfici censetur, qui cum consensu certam verborum formam exigit: qualis est Stipulatio. *Promittis dare agrum? Promitto. Nunquid facies? faciam.* Consensu finiuntur in quibus nec certa verborum forma, vel scriptura, nec rei traditio necessaria est. *l. Consensu. ff. de oblig. & act.* Talis est emptio, venditio, locatio, conductio, Mandatum, Societas. In his enim quamvis præter animi consensum verba, & res necessaria sunt; nihilominus solo consensu perfici dicuntur, quia nec certa verborum forma, nec rei, de qua convenitur traditio ad substantiam contractus requiritur. *Tholos l. 21. c. 6. Less. c. 17. Dub. 2. Vallens. l. 3. tit. 14. §. Tertio alius. Tuschus. Conclus. 985.* De nudo & vestito pacto superius dixi. *Tit. 6. §. 1.* Denique alius Contractus est guarentigius, qui nimirum paratam habet executionem propter adiunctum iuramentum, vel hypothecam, vel instrumentum publicum, quo conceditur potestas exequendi, non expectata Iudicis sententia. Non guarentigium vocamus, cui ista desunt. *Mol. Disp. 71. Fagund l. 1. c. 1. n. 12.*

III. Contractum facit consensus. 1. Si liber est, nulla vi dolo, aut iniusto metu extortus. 2. animo obligandi se elicitus. 3. externo aliquo signo declaratus. Formalis, an virtualis sit, nihil attinet. Formalem dico ipsum actum voluntatis; Virtualem, qui eius vim, ac valorem continet eo ferè modo, quo in antecedente consequens contine-

continetur. *Fagund. l. 1. c. 2. num. 11. & 12.* Nam qui emit, V. g. velle praesumitur emere: donare, item qui rem suam alteri sponte, & liberaliter tradit. Hinc colligas licet 1. non contrahere illum, cuius actio ficta, & simulata est, absque animo contrahendi. Si tamen inde damnum ortum sit, compensabit. 6. *Cum Apostolica de reser. c. cum ex tenore eod. c. Ex literis de contumacia.* 2. non obligari eum, qui quidem promittit, sed absque voluntate obligandi se. *V. Vading. D. 1. d. 4. §. 2. Nav. c. 12. nu. 38. Henriq. l. 11. c. 13. Az. l. 1. c. 17. q. 9. Fagund. l. cit. n. 6.* E contra obligari, qui habet animum obligandi se, sed non servandi. *Hugo D. 22. S. 4. n. 36. 3.* neque illum, qui contrahere vult, & ignorat obligationem inesse contractui. *Sanch. l. 4. Decal. c. 1. nu. 26. Fagund. l. cit. nu. 7. 4.* qui sciens naturam Contractus, & obligationem illius, ita contrahit, ut neque velit, neque nolit obligare se, revera obligari: quia obligatio Contractui essentialiter annexa est, & qui vult antecedens, etiam velle consequens censetur. Contractus enim initio voluntatis est, post factum necessitatis. *l. Sicut. C. de act. & oblig. Fagund. num. 10. Azor III. l. 6. c. 12. Comit. l. 3. q. 3. Onnate. disp. 3. Sect. 1. Filliuc. Tract. 33. c. 2. n. 17. Romanus Consilio 291. Card. Tuschus in V. Contractus Conclus. 983.*

IV. Contractus metu gravi extortus non est iure naturali invalidus, quia non deest illi consensus necessarius, neque à iure positivo reprobat. *§. 1. V. si metu coactus Inst. de except. l. si mulier. ff. Quod metus causa. & l. ul. C. de his, qua vi Bonac. Tom. 2. p. 481. Pallavicinus. l. 5. de act. hum. c. 5. nu. 60.* Excipe casus à *Glo. notatos c. 2. de his qua vi.* cuius generis est Matrimonium,

dos promissa, Votum, professio religiosa, & contractus, de rebus ecclesiae, & renuntiatio beneficii ecclesiastici: de quibus. *V. Less. c. 17. D. 6. n. 36. Lugo D. 22. nu. 120. Onnate disp. 3. S. 13. V. Azor 3. l. 6. c. 7. Q. 1.* Qui vero metu iniuste illatum passus est, in conscientia irritare potest, promissionem & contractum suum. *c. 4. de his, qua vi Quae metu, & vi sunt, de iure debent irritum revocari. & c. 4. ibid.* Quae vi metusve causa sunt, careere debent robore firmitatis. Vbi *Barb.* extendit ad metum reverentialem praecedentibus metis, aut verberibus qui sufficiat ad rescindendos contractus. Quod tunc facilius acceptari potest, si quod *Tit. 1. §. 4. Dub. 12.* diximus, verum est, omnem contractum, cuius causa principalis fuit metus etiam levis, in foro conscientiae irritum esse, ut *Tanner. probat. 3. D. 4. Dub. 11. n. 319. Onnate Disp. 3. n. 234.* Dixi metum iniuste illatum ut intelligas, valere Contractus, quando per metum ex iusta causa obtinentur iuxta communem DD. sensum. *Glo. inc. Abbas. de his qua vi Panorm. & alibi ibid. l. Dolo C. de inutili stipul. l. ult. C. de his, qua vi. Inst. de except. princ. l. si mulier. §. ult. ff. Quod metus cau. Vaq. l. 2. D. 27. c. 3. Suar. 11. de relig. l. 1. de Voto. c. 7. & l. 6. c. 27. Nav. l. 1. Consil. 4. Silu. V. Metus. q. 8. Ioan. Faber Inst. ut. de obligat. §. Nunc transeamus Logo Disp. 22. Sect. 7. n. 115. Vallens. l. 1. tit. 40. Comitol. l. 3. p. 2. Fagundez l. 1. c. 6. nu. 3.* Contractus propter metum iniustum invalidi sunt. 1. matrimonium, & sponsalia. 2. dotis promissae, vel solutae. 3. absolutio ab excommunicatione, & aliis censuris. 4. renunciatio beneficii 5. testimonium in testamentis. 6. donatio, & quicumque actus vim donationis habet. V. Quan.

V. Quando contrahens errat, vel decipitur circa substantiam, rei, quam per se, & principaliter appetit, contractus iure naturæ irritus est, pura, si pro gemma vitrum, vel pro vino quam emerit. Errantis enim nullus consensus est. *l. 9. C. de iuris & facti ignora. Consensus autem ut nu. 3. diximus*, contractum efficit. Dixi, iure naturali irritum esse contractum errantis circa substantiam rei, quia leges aliter statuere videntur, de errore cui alterius dolus causam dedit. De qua re, quoniam valde incerta & intricata est, nolim frustra comprehendere. Legi potest *Less. c. 17. dub. 5. & Vadingus disp. 1. Dub. 2. §. 2.* Si autem contingat circa accidens rei, & concomitetur tantum, contractum neque infirmat, neque ut infirmetur facit. Exemplum esto. Cum velles emere vinum Rhenanum, Neeraticum oblatum est, quod etiam si scivisses, Rhenanum non esse, comparate voluisses. Sed actio tibi permittitur contra deceptorem, ut solvat, quanti interest, dolum adhibitum non fuisse. *Covar. Par. 2. Relect. c. Possessor §. 6. de bo. fi. in praescript. Medina C. de rest. Q. 13. Soto l. 6. p. 3. ar. 2. Mol. Disp. 357. Concl. 4. Less. l. 2. c. 17. D. 5. Bican. de si her. servanda c. 3. aff. 2. Bonac. To. II. p. 478. Fagund. l. 1. de Contract. c. 2. n. 5. Onnate Tr. 1. Disp. 3. Sect. 5.*

VI. Validus igitur contractus esse potest, cui error circa qualitatem causam dedit, vel ex propria persuasione, vel alterius machinatione proveniens. Nam sic agendo manet sufficiens consensus in rem, de qua agitur & non nisi circa qualitatem fit error. Propter iniuriam tamen pro rescissione contractus agere potest, ut mox dicitur. Præterea si consensus fuerit conditionalis non contrahendi, nisi talis in sub-

iecto qualitas insit, nulla conventio fiet, siue intentio formalis, siue virtualis fuerit. *Contr. de Contr. Q. 57. Sanch. l. 6. de Matr. D. 18. Vallent. 3. Disp. 5. q. 20. Lugo D. 22. Sect. 6. n. 88. & 106. pun. 4. Concl. 4. Fill. Tr. 33. c. 7. n. 117. Onnate l. cit. Sect. 6. Less. l. cit.* Porro virtute conditionalis intentio est, quando versatur circa qualitatem, quasi existentem, quæ vim habet animum, & propositum immutandi. Petrus ex g. vovet iter Ieroloymam, & loca Sancta, falsò persuasus non nisi bidui itinere per terram abesse. Omnino sic affectum fuisse appetet, ut propter brevitatem talis viæ ac facilitatem, & non aliter vovere vellet. 2. Si error sit circa qualitatem, quæ est principale motivum paciscendi Donas Cajo, non alia ex causa, quam quia consanguineus tuus est: beneficium promittis idè tantum, quia eiusdem tecum cognationis esse credis: nemo dubitat, quin revocare queas, cognito errore, & deceptione. *Mol. disp. 209. Less. lo. cit. Vasqu. de restit. c. 7. n. 10.* Aliter verò iudicandum si finis tuus sit, exercere misericordiam, & te impellat opinio sanctitatis, ut huic potius, quam alteri puellæ dotem promittas. Obligatus enim es, siue vera sanctitatis persuasio fuerit, siue falsa, quia motivum principale fuit non honoranda sanctitatis, sed exercendæ charitatis. *Sotus l. 9. q. 7. ar. 3. Pe. Navar. l. 3. c. 1. num. 301.* Ad dignoscendum verò, quando Contractus circa substantiam, aut qualitatem occupetur, substantia rei non est absolute consideranda, sed cum respectu ad actum voluntarium, ita ut obiectum substantiale censeatur, circa quod actus voluntatis per se, & non per accidens versatur. Vnde colligimus, quòd in donationibus ut plurimum

Ccc persona,

persona, cui donatio destinatur, obiectū principale constituit: quia illius intuitu principaliter ad exercendam liberalitatem donator excitatur. Contrarium in aliis patet, praesertim emptione fieri comperimus. Nihil enim interesse sua quis emptor existimat, à magno, aut paruo emat re, cuius utilitatem desiderat. Vendens similiter non eligit, cui merces suas vendat, sed de pretio, & lucro sollicitus cum primo quocunque cōtrahit. Tros Tutulusve suat, nullo discrimine habetur.

VII. Verū quia dolus nemini patrocinari, aut prodesse debet *l. Verū §. Tempus. ff. Pro socio*, ius habet qui deceptus est, agendi pro rescissione cōtractus, modò nō sit indissolubilis, ut ex supra cita. *l. Si dolo. C. de inut. stipul. Inst. de except. §. 1* Nā proximū suum qui dolo ludit, iniuriā & damnum facit, unde ad restitutionem obligatur, & cogi per Magistratum debet. Idem iudiciū de vi per iniuriam incussa & Metu sit *l. si Mulier ff. de eo quod metu causa*. Nō obstat huic sententiā, quod *l. Et eleganter 7. ff. de dolo & l. 3. Pro socio ead.* dicitur, bonae fidei cōtractus dolo malo initos ipso iure nullius momenti, esse, unde sequi videtur per se, & omnimodè invalidos esse cōtractus alterius dolo procuratos. Etenim non de substantia Cōtractus, sed effectū, intelligi debet, ratione cuius nullā vim, aut robur obtinent. Neq; idèd lucrū ex dolo reportat decipiens: quia si quid commodi ad eū derivatur, nō ex dolo, sed mutuo utriusque consensu nascitur, quem probavi natura sua validū esse. *Vvesenbec. l. 4. ff. de 3. Coninck 22. Disp. 23. Dubi. 9. Becan. c. 3. assert. 3. Az. 3. l. 6. c. 10. Laym. l. 4. Tr. 4. c. 9. n. 6. Less. c. 17. D. 1. Lugo D. 22. Sect. 6. Fill. Tr. 33. c. 7. 123. Escobar Tract. 3. Exa. 32. 44.*

VIII. Cōtractus, cui Iuris scripti solemnitas deest, validos esse: eosdē non esse validos: partim, vel secūdum quid validos partim invalidos esse, pari propemodum probabilitate asseritur, ita ut unicuique quod placuerit, relinquatur electio. *Lugo D. 22. §. 10.* Illis tamen accedo promptius, qui in foro conscientiae validos esse cōtractus, non specialiter à Iure damnatos pronunciant, ita ut possessor bona fide retinere possit quod acquisivit, donec à Iudice ad restituendum obligetur. Cum enim materia haec practica sit, & communi usi referatur, in tanta opinionum varietate, cum res urget, licebit cuivis eam viam insistere, quae sibi commodissima videtur, itaque omnes opiniones aliae simul concident. Supervacaneum igitur est, aliquam illarū inculcare, & obtrudere nolentibus. Adde, quod apud *Lesium c. 19. Dub. 3.* plerique Theologi agnoscunt, testamentum ad pias causas factum absque formā Iure Civili praescripta in foro conscientiae validum esse, & retineri sine scrupulo posse, quae obvenerint. Item si de cōtractibus & quasi cōtractibus dixerimus, satis fiet legislatorum intentioni, qui reip. causa certas formas Cōtractibus praefixerunt, quibus non servatis Iudex actionem negaret; simul anxius mentibus formidinem tollemus, ut bona fide accepta, bona conservantia norint se retinere posse, ita tamen, ut propter boni publici favorem, & auctoritatem legum à Iudice requisiti dimittant. *Soto l. 4. de iust. Q. 5. ar. 3. Lud. Lopez. Palacios, Henr. & Burgoz de Paz. quos citat & approbat Sanch. l. 4. Consil. c. 1. Dub. 14. n. 5. & 6. Lugo. D. 22. Sect. 10. num. 251. Az. III. l. 6. c. 9. Emm. Sa. V. Cōtractus num. 1. Salm. Q. 5. de dominis Aragoni.*

¶ *Q. 62. Escobar Tract. 3. Exam. 3. c. 6.*

IX. Contractus ex prohibitione Iuris naturalis, vel etiam positivi omnino irritus non potest iuramento confirmari, iuxta communem DD. sententiam. Quomodo enim quod non est, confirmetur, cum non entis nulla accidentia sint? *l. Contractus ff. de Re. Iur. Barb. in l. si quis pro socio ff. de fideiusso. Si tamen actus circa rem natura sua non turpem versetur, ita ut contineat obligationem naturalem, vel admittat alium actum, seu promissionem non retractandi, quoad hanc, confirmari poterit, quemadmodum fuse explicat. Suar. l. 2. de iuramento. c. 29. Farin. Par. 6. Q. 160. Idem de actu prohibito principaliter, & immediate ob favore publicum boni communis, cui renunciare privatis hominibus non licet, iudicandum est. c. Si diligenti 12. de fo. comp. l. Ius publicum ff. de pactis. c. Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum de Reg. Iur. in 6. de qua Reg. V. Commentarium nostrum in Reg. Iur. & al. Interp. At vero quando principaliter, & immediate propter privatam alicuius utilitatem contractus prohibetur, cum absque dispendio salutis aeternae servari queat, & quilibet eum suo cedere possit, iuramentum additum vires addet contractui, utpote non plane irritum, sed minimum naturaliter obliganti, quemadmodum de pupilli contractibus passim DD. affirmant. c. 2. de pactis in 6. Auth. Sacramenta puberum. Neque obstat, quod privatorum favor cum bono publico coniunctus est, illud enim velut non magni ponderis a Iure Canonico minime attenditur. Excipe 1. nisi & contractus & iuramentum a Iure irritetur. 2. con-*

tractum, reprobatum odio creditoris, qui absque peccato, non potest quod promissum est, recipere, ut in Usurario contingit. Quamvis enim iuramentum de soluendo usuras, cum a parte promittentis non contineat iniquitatem validum sit, non confirmat tamen promissionem factam, sed per se stans obligat, donec legitime relaxetur. c. Quamvis de pactis in 6. c. Debitores. de Iure Iur. c. cum contingat. eod. Az. 1. l. 11. c. 7. Barb. in Pratermissis ad 11. de Iure Iur. pag. 124. & in c. cilia. Quamvis Reginald. l. 25. c. 4. n. 53. Tholos. l. 50. c. 5. Fill. Tr. 25. c. 7. n. 212.

X. Inter contractus iure civili tantum prohibitos qui iuramento confirmantur, est. 1. donatio omnium bonorum tam praesentium, quam futurorum. *l. ult. C. de pactis.* 2. donatio absque insinuatione facta. *l. in hac sacratissima C. de donat.* 3. donatio inter virum & uxorem Patrem, & filium. *Covarr. de testam. par. 2. n. 16. 4.* donatio & alienatio absque auctore tutoris a pupillo facta. *l. pupillus ff. de acquir. rer. dom.* 5. pactum de non revocando testamento. *Less. c. 19. D. 8.* 6. pactum filiae ut dote contenta cedat iure suo succedendi in bonis paternis. *c. quis 2. de pactis in 6.* 7. alienatio rerum dotalium, & quae propter nuptias donata sunt. *l. Iulianus ff. de fundo dotali. Silv. V. dos. n. 1. Mol. Disp. 49.* Haec, & similia quia per se mala non sunt, sed solo civili iure propter maiorem securitatem prohibita, quamvis ut inania a legibus reiciantur, si tamen iuramentum accesserit, obligant, & servanda sunt, ut satis probatum est num. praec. At vero, quae pacta iure Canonico irritantur, intuitu libertatis ecclesiasticae, nullam firmitatem ex iuramento capiunt. Irritus enim omnino cum sit con-

tractus, & promissio, qua clericus renunciat libertati suae, iuramento non confirmatur. Et si contrarium quid egerit ipse, vel alius quicumque nullum effectum sortietur. In his enim & similibus non ipse clericus in particulari, sed totius ordinis, & ecclesiae favor attenditur cui non possunt renunciare privati. Imo quaecumque per leges Canonicas prohibentur, etiam absque irritatione, nullo iuramento confirmari possunt, quia in conscientia obligant ad sui observationem. Dynus in Reg. 58. de Reg. iur. in 6. Az. lo. citato. & To. III. l. 6. c. 6. Reginald l. 25. n. 52. Escobar Tr. 1. Exa. 3. c. 2. Barb. in c. Sicut. de iureiur. & c. Cum contin. at. eod. Filliut. Tr. 10. c. 4. n. 122. & Tract. 7. n. 195. Suarez. l. 2. de iuram. c. 28. Farinac. lo. cit.

XI. Accidunt Contractui Condicio, Modus, Demonstratio, & Causa. Condicio per particulam Si. & æquivalentes explicatur, & suspendit actum, qui eam expleta purificatur. *l. Itaque ff. si certum petatur. Ex. g. Promitto, me daturum mille aureos, si ingressus fueris religionem.* Modus est clausula per particulam. Vt vel æquivalentem notari solita, cuius natura est, non suspendere contractum, uti Condicio, sed statim quod promissum est, exigi & accipi potest data cautione de modo servando. *l. Qui heredi. §. fin. & l. quibus diebus. ff. de condit. Ex. g. Lego decem millia florenorum, ut ædificetur domus hospitalis, vel erigatur Seminatum.* Demonstratio est clausula, & signum notificans rem, de qua agitur ex aliquo præterito, vel præterente. Ex. g. Lego tibi libros meos, qui sunt in cista rubea. Dono villam, quæ est ad radicem montis asperi. Causa est clausula adiecta significans causam finalem

Contractus, & notatur per *Quia, Quoniam*, & similes præpositiones. Quia negotia mea sedulo, & gna viter executus es, promitto tibi tertiam partem bonorum, meorum. *Dixi* significare causam finalem, non excludendo impulsivam, quæ eodem pertinet. Dicitur autem proprie finalis, quæ principaliter movet agentem, & cuius gratia agimus. Impulsiva, quæ facit, ut citius, aut libentius, ita ut ea absente nihilominus fieret, quod institutum est. *Angelus & Silv. V. Condicio. Laym. Tr. 4. l. 30. c. 4. Escobar. Tract. 3. Exam. 3. c. 5.*

XII. Conditionis ea natura est, ut si contra substantiam Contractus sit, illum evertat, si contra accidentia tantum. *Mysing. in §. Hares & pure. Instit. de hered. 2.* Si impossibilis sit, nihil operatur, sed in utroque iure pro non apposta habetur. *§. Impossibilis Instit. de hered. c. fin. de pactis.* Idem iuris est de turpi conditione, quæ sine peccato confici non potest. *l. Verum de condition. appof.* Idem de conditione, quæ à matrimonio retrahit. *l. Titia ff. de conditionib.* Multò magis, si à Religione avocet. *Silv. V. Hereditas 4. Q. ult. Az. 3. l. 4. c. 24.* Iam quia dubium existere potest, an qui conditionem impossibilem, aut turpem adiecit, animû habuerit verè contrahendi, & obligandi se; consentum adfuisse iudicabit Ecclesia in favorem religionis, Matrimonii, vel alterius pie causæ. In dubiis enim id magis agere cõvenit, ut actus valeat, quam ut inanis, & irritus sit. *Medin. de rest. Q. 27. Soto in 4. Dist. 29. Sancb. l. 5. De Matrim. D. 3. num. 18. & Barb. Axiom. 12. num. 16.* Cæterum in contractibus temporalibus regulariter vitiate conditione impossibilem aut turpem. *Silv. ait in V. Condicio n. 8. c. 1. Glo. in c. fin. de con-*

de conditionibus. & colligitur ex l. impossibiles ff. de verb. oblig. ubi ratio insinuat, quia omnium ea cogitatio est, ut nihil agi existiment, appositâ eâ conditione, quam sciant esse impossibilem. Nam talis conditio dissensum potius, quam consensum indicat. Quod intellige, siue conditio reipsa, siue jure impossibilis sit, hoc est, illicita & turpis. Neque excipi debent ultimæ voluntates, nisi per alium actum æquipollentem appositâ conditio adimpleri possit. *V. Gail l. 2. obs. 4. n. 15. Lessus c. 18. Dub. 15. num. 121. Comitrol. l. 1. quest. 113. num. 3. Tuschum V. Conditio Conclus. 591. Mynsing. §. impossibilis. Instit. de hered. Schneidev. ibid.*

XIII. De modo *Bart* tradit in l. 2. §. fin. de donat. si fuerit causa finalis in donatione, vel contractu, nec impleatur, revocari posse. Dedi pecuniam, ut templum extrueretur, repeto, quia non fit. Si autem fuerit causa impulsiva tantum, non revocatur contractus etiam modo neglecto. *l. Marus ff. de manumissionibus.* Idem dicendum, si ex mente donantis colligi possit non velle obligare ad modum, sed tantummodò allicere. In dubio an fuerit causa finalis, vel impulsiva tantum, pro favore piæ causæ judicandum est, ita, ut finalis causæ loco illa tunc fuisse presumatur. *Filliut. tract. 33. c. 10. num. 176.* Quod si modus substantiæ contractus sit contrarius, annihilat illum: si autem impossibilis, aut turpis, non viciat, sed habetur pro non adjecto, quemadmodum de conditione dixi n. præced. *Mol. Disp. 268. V. modus impossib. Sanchez. l. 5. de matrim. Disp. 19. num. 5. Reginald. l. 25. c. 5. n. 63. Filliut. tract. 10. part. 1. c. 4. Barb. in tr. de donationib. num. 479. Laym. l. 3. tit. 4. c. 4.*

XIV. Demonstratio contractui adjecta, comperta illius falsitate, actum, & contractum viciat. *l. Quintus Mutius ait. ff. de auro, & argento leg. nisi ex verbis præcedentibus sufficienter de re cognoscitur.* Ex. gr. *Dono tibi libros meos, qui sunt in cistâ rubrâ: si constet aliunde, quos, qualesve libros habuerim, ubicumque etiam extra cistam reperiantur, tui erunt.* Si autem nec quos, nec quales libros habuerim, constet, imò dubitetur an ullos unquam, & demonstratio fallat, corrumpere etiam donationem necesse est. *Sily. V. conditio. q. 7. Reginald. l. c. cir. nu. 64. Mol. D. 211. Azor. III. l. 4. c. 24. q. 3.* ubi plura in hanc rem exempla colligit. *Fill. tract. 33. c. 10. num. 179.*

XV. Denique causam quod attinet, illâ non subsistente, propter quam solam contrahere voluisti, promissio nulla est, quia contractus ex intentione agentium fortiter valet, & speciem suam. Igitur quando contrahentis intentio conditionalis est, ut in proposito, & nulla conditio inest, inanis conventio redditur. Nihilominus si post factum cognito defectu veller quis stare promissioni suæ, eamque ratam manere etiam sine conditione, & causa, non minus valebit, quam si ab initio cum tali intentione elicit foret. *Sily. V. pactum q. 4. Navar. c. 18. num. 6. Molina Disp. 209. Filliut. tract. 33. c. 10. num. 178. Barbof. Axiom. 37.* In gratuitis, ubi motivis quibusdam ad finem præfixum impellimur, si illa subsistant, & miscetur aliquid ad finem illum imperminens, quo cognito tamen nollemus actum valere, adhuc manebit valida dispositio. Nam in gratuita dispositione voluntas innititur motivis cognitis, ita ut



actio inde procedens valeat etiam ad transferendum dominium. Neque obesse potest ignorantia alicujus circumstantiæ, quæ cognita posset immanutare propositum. Hoc enim impertinens, & minimè necessarium est, ad liberalem donationem. Aliàs omnium circumstantiarum habenda cognitio esset, quod modum agendi nostræ mentis excedit. Quæ mobrem communi DD. sensu valida censetur eleemosyna quodcumque intuitu misericordiæ principaliter expenditur, etiam si obveniat pauperi flagitiosissimo, cui minimè voluisses largiri, nisi ignorasses. *Medina de rest. q. 24. concl. 1. Adria. in 4. de restit. Reginald. num. 66. Pe. Navarr. l. 3. c. 1. num. 30. Baldus. Consil. 402. Calder. Consil. 1. de translat. Pralat. Tuschus. Concl. 137. Castrens. l. 2. Consil. 134. Barlos. Axiom. 40. Card. Lugo Disp. 22. Sect. 7. n. 124.*

XVI. Contractum duo mala infestant Culpa, & Fortuna: hujus incursum nec prævidere, nec evitare possumus. *Gloss. in l. si quis s. questum ff. si quis cautionib. Paor. Angel. Azor, alii.* Illa ex legibus reos facit, innoxia subinde conscientia. Dividitur in latam, levem, & levissimam. Lata est, omisisse curam, in rebus alienis, quam quilibet etiam parùm diligens suis adhibere solet. Levis, omisso curæ ordinariæ, & communis. Levissima ejus, quam diligentissimi adhibere solent. *Tholos. l. 21. c. 11. Layman. l. 3. tract. 4. c. 7.* Ubi, & quomodo locum habeat, ex tribus sequentibus Regulis cognoscere licet. 1. In Contractu, qui in solius accipientis utilitatem institutus est, non tantùm ex culpa lata tenetur accipiens, sed etiam ex levi, & levissima. *l. contractus ff. de Reg. jur. §. c. 1. de commodato.* Excipe Precarium, quæ pro

libitu revocari potest. 2. Quando contractus in utilitatem solius dantis est, non tenetur accipiens, nisi ex dolo, & culpa lata: puta, in Deposito. *l. cita. Contractus l. si ut certò §. interdum. ff. commodati.* Sibi enim imputare debet, qui non elegit, magis fidum, & sollicitum. Si autem Depositum in solius accipientis gratiam, & utilitatem fieret, ex culpa etiam levissima teneretur: si pro pretio in utriusque favorem, de levi tantùm. 3. Si contractus in utriusque utilitatem fiat, ejusmodi est Locatio, Societas, Emphyteusis, pignus, & similes, obligatio satisfaciendi nascitur ex culpa non tantùm lata, sed etiam levi, non tamen levissima. *DD. ad l. cit. contractus. §. l. si ut certò §. nunc videndum ff. commodati.* Contingere tamen potest subinde, ut advocatus, & alius quilibet artifex non quidem ratione Contractus præcisè sed erroris, & deceptionis ex jactantia, & præsumptione etiam de levissima culpa teneatur: si nimirum vel excludat alium, qui pro eodem pretio diligentissimam operam offerebat, vel si ipsa rei conditio maximè accuratam operam exigebat, ut si gemma aliqua polienda, & formanda esset. *Wesenbec. l. 16. ff. tr. 3. ci. fin. Rebell. de oblig. iust. l. 1. c. ult. Reginald. l. 10. c. 3. Navar. c. 17. Azor. III. l. 6. c. 4. Filliut. tract. 33. c. 8. & 9. Soto. l. 4. q. 6. art. 2. Lessius. c. 7. Dub. 8. Tholos. l. 21. c. 11. & 12. Layman. l. cit. Fagundez. l. 1. c. 9.*

NOTA. Quod Contractus innominatos attinet, idem de illis iudicium est, observando analogiam, quam habent cum Contractibus nominatis. *Bart. in l. quod Nerva. ff. de positi q. 14. Ang. & Sylv. v. Locatio Fill. lo. cit. Exemplum esto in eo, qui rem suam dedit inspectori, ut de valore illius, & pre-*

de pretio inquirat. Hic enim non tenetur, nisi ex culpa lata, quia in solius dantis utilitatem conventum est.

XVII. Peccatur etiam in Contractibus non raro contra scientiam per fictionem, nempe scilicet & vitiosam intentionem, puta, 1. quando contrahentes nihil aliud agere intendunt, quam quod extrinsecus apparet, ita, ut animus verè paciscendi, & se obligandi desit. 2. cum de pretio quidem convenitur, sed admodum vili; animus verò est, rem donare. Ex. gr. si equum generosum pro 10 flo. relinquant. 3. quando simulant unum contractum. V. g. cambium, re ipsa verò aliud faciunt, qui usurarius est sub titulo mutui. 4. fieri potest, ut habeatur pro simulato, qui revera non est simulatus, ut si non fuerit juratus, extra consuetum locum, vel nocturno tempore factus, 5. si quis fingat, se alteri donare fundum confecto publico instrumento, ut donatarius suscipere possit sacros ordines, postea verò reddat illum donanti, ex instrumento etiam publico antea confecto, quo ad id obligatur. Denique quando contrahentes simulant unum contractum, revera autem alium faciunt. De his certum est 1. graviter peccare contra legem Naturæ faciendo aliis, quod fieri sibi noluat. *l. si quis testamentum C. de inoff. testam.* 2. non tamen obligari in conscientia, quando contractus voluntarii defectu nullus est. *l. in summa. ff. de condic. indebiti.* 3. in foro externo autem nulla simulationis ratione habita, ut verè contractus acceptabuntur, nec, exceptio admittitur. *l. i. ff. de pactis.* 4. quicquid ex simulato contractu damni provenit, compensandum, & restituendum esse:

quia bono, & æquo non convenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum sentire per alterius lucrum. *l. i. iure ff. de iure dorum.* Neque si per jocum, aut demonstrandi intellectus gratia tibi dixeris. *Spondes? & tu responderis, Spondeo, nascitur obligatio l. 2. ff. de oblig. Et merito Baldus contractum sine intentione requisita formatum appellat corpus sine anima. Molin. Disp. 252. num. 4. Lugo Disp. 22. Sect. 6. Esgundez. l. 1. de contractibus c. 2. Alvarus l. 2. de planctu Eccl. art. 42. Tolerus l. 8. c. 47. & sequentibus. Azor. III. l. 6. c. 12. Lessius c. 18. D. 17. num. 132. Lorich. V. Contractus num. 4. Fill. tract. 33. c. 7. num. ult. Suar. Tom. III. de Relig. c. 19. num. 2. Onnate tract. 1. Disp. 3. num. 301. Antonin. part. 2. tt. 1. c. 8. §. 15.*

§. II.

Satisf. Dubiis de Contractibus.

DUB. 1. An Princeps obligetur ex Contractu cum Subditis suis inuito?

Resp. Ex omni Contractu, & quasi Contractu, sive cum æqualibus, sive cum subditis suis inuito Principem teneri, nec posse salva justitia, & conscientia reniti. *c. 1. de probat.* Nam 1. explorati juris est in contractu *συγγελαγμα* esse, quo non, ut accidente, sed forma essentiali constituitur. Quemadmodum igitur Principi subditus, ita subdito Princeps ex Contractu obligatur. Relatorum eadem ratio est. 2. In contrahendo Princeps non uti Princeps, sed privati civis instar consideratur. Unde communi aliorum civium lege agere, & condicere debet. Aliàs non inveniet, cum quo paciscatur. 3. Leges Contra-

Contractum pro Universitate, seu communitate feruntur, ita ut singulos in ea afficiant. Igitur quemadmodum membra inferiora, sic etiam caput, & superiora continentur. Neque alio fine, & modo Principes à populo constituuntur, quam ut boni publici rationem habeant, fidem & iustitiam colant. Ut merito Baldus dixerit in *Consil. 327*. Principem esse dominum mundi, non quoad malum, sed quoad bonum, idcirco ligari edicto illo. Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem utatur. *l. ff. tt. 2. in quo summa æquitas, & nullius in dignatio iusta est*. Ac proinde hanc sententiam communiter Theologi, Jurisperiti tenent. *S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. & l. 3. Politicor. lect. 9. Cajet. Medina. Victoria. Mol. D. 26. Soto 1. de iust. q. 6. art. 7. Vasquez. D. 1167. c. 3. Laym. l. 1. tract. 4. c. 8. §. 9. Sanch. l. 6. Mor. c. 6. Lugo D. 22. sess. 10. num. 280. Cynus in l. digna vox. C. de legib. Castrens. in l. Princeps ff. de legib. Abb. & Ioan. Andr. c. 1. de probat. Roman. Consil. 345. col. 3. Calcan. consil. 80. vers. eod. modo. Iason consil. 1. num. 2. Decius in l. 1. ff. quod quisque juris. Tholos. de rep. l. 8. c. 8. num. 6. Adam. Cont. Xen Politicor. l. 5. c. 20. §. 11. Gomez Tom. 11. c. 1. Pellius in c. quod semel placuit num. 6. de Re iur. in 6. Morl. in emporio Iuris p. 1. tt. 1. Fachin. Contr. l. 1. c. 2. Bobadil. in sua Politicâ l. 2. c. 10. Menoch. de arb. q. 7. num. 70. Mysing. Decade 7. Responso 64. Cagnolus de regim. Princ. pum num. 92. Vasquius l. 1. c. 26. n. 19. & Gomez Tom. 11. c. 4. Denique omnes illi, qui Principem suis legibus subiciunt, quando eadem illius quæ Subditorum ratio in illis. Auctorum nomina reperies apud Franc. Suar. de legib. l. 3. c. 35. num. 4. Barb. in c. iustum. Dist. 9. & Layman. lo. citato.*

Digna lanè vox maiestate regnantis est, legibus alligatum se Principem profiteri. *l. 4. C. de leg. Indigna vicissim Quod libet, licet. Ex dd. leg. 1. Si contractus aliquis à jure irritetur, etiam respectu Principis irritum fore. l. 23. ff. de Legatis III. Ex imperfecto testamento legata vel fideicommissa Imperatorem vindicare invecundum est. 2. Onus statuto Civitatis impositum civibus ipsi quoque Magistratui subeundum Statutum est ex. gr. ut nemo debitor ante quinquennium teneatur solvere Creditoribus. Qui Magistratui debent, ante quinquennium elapsam non solvent. V. Layman. loc. cit. & Follerium in p. axi Censuali. pag. 66. & 47.*

Dub. 3. An Princeps, & Prælatus prædecessoris sui pacta & contractus servare debeat?

Resp. Aff. supponendo succedere illum universaliter in omnia bona, & jura prædecessoris sui. c. veniens de transi. c. 1. de probat. c. is qui in ius succedit. alterius de Reg. lu. in 6. ubi Dynus, Peckius & alii. Nec obstat, quod vulgò audimus. Successorem suum nemo ligat. c. fin. de rescr. in 6. Fallit enim in iis, quæ ad totius Reipubl. regni, aut Provinciæ bonum pertinent, nec arbitrariam, sed ex natura rei obligationem conjunctam habent, cujusmodi sunt pacta, & conventiones secundum leges, vel consuetudinem loci legitimo modo perfectæ: ad quarum observationem in primo sui muneris, aut dignitatis ingressu quilibet Princeps, aut Prælatus se obstringit. Quod ponderans Sordus Consil. 419 num. 27. infert, aliàs futurum, ut Princeps sibi ipsi contrarius sit juxta Baldi observationem in Consil. 326. col. 3. Vol. 1. idque potissimum valet, quando agitur

agitur de concessis à prædecessore ob bene merita accipientium : quo casu donatio & concessio revocari non potest, ut multis probat Menoch. in cons. 1003. num. 64. allegans inter alios Soarium alleg. 10. qui specialiter de Hispaniarum Rege asserit, eum prædecessoris sui donationem ob bene merita factam revocare non posse. Nam ejusmodi concessa in contractu onerosum transseunt, cujus generis quicunque sunt non admittunt variationem, vel abrogationem, ut communiter DD. tradunt in c. 1. de probat. c. Abbate sanè. de re iudica. in 6. Bartol. in l. prohibere. §. planè ff. quod vi. Bald. in l. digna vox. C. de legib. Decius in c. 1. de probat. Oldrad. consil. 94. Castrensi. in l. fin. C. de transact. Igneus in l. donationes. quas C. de donat. inter vir. & ux. Reminald. in cons. 63. num. 32. Decian. consil. 27. Molina Disp. 541. & seq. Ferdin. Vasquius c. 35. num. 12. & 13. Franc. Marcus part. 1. De eis. 87. num. 12 Barb. in prætermis. c. dilecti. de fo. compet. De nique Roderic. Tom. 3. quæst. 26. art. 1. confirmans exemplo Summi Pontificis qui in tam celsa dignitate constitutus servat contractus prædecessoris sui, ut tenent Cynus, Baldus, Paulus de Castro, Romanus, Oldrad. Iason. & saltem ex urbanitate, clementia, & æquitate mandat, ut adimpleantur ea, ad quæ prædecessor se obligaverat, prout in sacris Canonibus notatur. c. quia Ioannes. 12. quæst. 5. c. ult. 16. quæst. 6. c. litera iun. Gloss. de rescriptu c. Accessorium cum similibus. de Re. Jur. in 6. ita Rodriq. Anton. Peregrinus l. 1. de iuribus Fisci pag. 66. 74. & 84. Cardin. Tuschus in V. Princeps. Conclus. 690. & 691. Mynsinger. Decade 10. Responso 98. Addens concessiones à Principe factas sine causa, ab iisdem revocari posse.

Dub. 3. An quando Contractus cum aliquo religioso initus est, eidem, quod ex contractu debetur, solvi possit?

Resp. Roder. loc. cit. art. 2. in Capella Tholosana decisum esse affirmativè, si nõ intervenit factum Abbatis, aut Superioris l. quod servus ff. de solut. ubi Alfenus Varus ait. Quod servus ex peculio suo credidisset, aut depulsisset, ei, si venisset, si ve manumissus esset, rectè solvi potest, nisi aliqua causa interciderit, ex qua intelligi possit, invito eo, cujus tum is servus fuisset, ei solvi. Cum igitur in hoc rerum genere religiosus æquiparetur servo, eodem pede metiemur, ut in bonum Monasterii potissimè contractus acceptetur, & per solutionem ipsi factam debitor liberetur. Navar. Comm. 2. de Regul. num. 43. Caram. Theol. Morali l. 2. Disp. 2. art. 8. In alienationibus autem alio idiomate loquendum erit. Addit Roder. Si autem in tali contractu intervenerit factum Prælati, tunc Monacho, & Religioso solvi non poterit: & ita intelligit. Bart. l. cum qui §. qua sibi ff. de verb. obligationibus. Et idèd, ait, si Monachus mutuat, vel deponit pecuniam, & ei restituitur sine licentia Prælati, debitor vel depositarius liberatur: cujus sententiam sequuntur Bald. & Salicetus. Idem in procuratore dicendum Bartol. putat. Nam si quis pecuniam mutuo accepisset à procuratore, vel cum eo aliter contraxisset, nullo actu domini interveniente, posset procuratori solvere arg. legis cit. Cum qui. Sed quando intervenit actus domini, puta, quia actionem jam quæsitam deduxit in iudicium, & fecit eum condemnari, non potest procuratori solvi, ut innuitur in lege. Hoc in re ff. de solut. Neque

Ddd interest,

interest, Contractum à parte Monachi propter defectum potestatis claudicare, cum sufficere possit in alterâ parte bona fides, & ignorantia. Præterea æquitas juris, & præsumptio facit, ut magis expediat ita liberari debitorem ex contractu etiam nullo, quam prolixis litibus viam aperire. Si quid à religioso peccatum est, Prælatus vindicabit, & ne in eandem foream deinceps labatur, providebit. *c. fin. de dolo, & contum. Mol. D. 140 Sanchez l. 7. Moral. c. 31. n. 27. Lessius c. 41. Dub. 11 num. 90. Navar. in c. Non dicatis num. 42.* Ubi promissionem Religiosi factam sæculari alicui præbat valere, & obligare, donec à Prælato irritetur. Fieri enim revera potest, ut emptio alicujus rei, absente, & ignorante superiore facta à Religioso subdito, plurimum conducat rebus Monasterii; quo in casu illam facillè approbabit Prælatus; sin minus, inita pacta concidet, & nullum sortientur effectum.

DUB. 4. An Princeps Subditorum suorum pacta, & Contractus dissolvere queat?

Resp. Ex justâ causâ posse, imò debere, aliquando, cum videlicet aut bono publico, aut ipsis contrahentibus noxii sunt. Idèd enim summa instructus potestate est, ut evellat, & destruat, ædificet, & plantet, de omnium salute & prosperitate sollicitus sit. Imò tutoris instar est respectu Subditorum, ut pericula, & damna avertat, laesos restituat, quæ necessaria, & conducibilia, procuret. *Less. c. 1. D. 3 num. 13. Idem omnes sentire testatur Navar l. 3. Consil. 3. n. 15. citat. Felinum, qui in c. Novit. de iudiciis. ex eo, quòd jus subditi non à se, sed alio ortum revocari à Principe potest, etiam decretum, &*

privilegium suum revocare posse demonstrat *l. Lucius ff. de evict.* Adde quòd leges, & juramenta pro renata tollere, aut relaxare Princeps potest. *c. licet de iure in rando in 6 Azor. III. l. 1. c. 3. g. 3. Tholos. l. 50. c. 12. num. 10. Ferd. Vasq. c. 2. num. 26.* Verùm quia Contractuum ingens varietas, & multitudo est, & aliud alio vinculum potentius, adhibito peritorum consilio dispiciet, quid in quoque casu, & eventum expediat. Quæ pacta minus consideratè, vel non magna causa sunt, ad interitum proniora sunt, cujusmodi censentur juvenum, mulierum, & prodigorum: quibus merito Principum auctoritate subveniendum. Solidum iudicium in alienationibus requirit *Cassiodorus l. 2. ep. 11.* & facta à lierto inconluta donatio revocatur per patronum, si liberos susceperit. *l. si unquam de revoc. donat.* Præterea excessivæ donationes omnes legibus invisæ sunt, quemadmodum illæ etiam, quæ causa carent. *tt. de inoff. donat. in c. & l. 1. tt. de conditione sine causa.* Hinc ergò ad discernendum contractus occasionem habet Judex, ut jure videatur agere: ac multò magis si partes simul vel alterutra saltè id expetat. Absque justâ, & gravi causa jus acquisitum subditis tollere, pacta & conventiones disturbare nulli Magistratui permissum est. *Glossa in c. constitutus. de Religiosis domib. Tuschus V. pactum. conclus. 4. Menoch de arbitrar. l. 1. quæst. 48. Ferd. Vasquez l. 1. Controv. c. 15. Silv. V. Dominium. num. 3. & V. Princeps Emm. Sa. eod. num. 6. Petra de potestate Principum pag. 526. Lessius c. 5. Dub. 8. Gemin. Consil. 74. Zarabella Consil. 147. Cardin. Tuschus Conclus. 680. & 690. Tholos. l. 47. Syntagm. c. 20. n. 8. & 18.*

Dub. 5.

DUB. 5. An Dominus, & servus ex contractu invicē obligentur? Nullam obligationem agnoscit *l. interpositas 13. C. de transact.* ubi dicitur, Dominos cum servis suis pacificentes ex placitis suis teneri atque obligari non posse certi juris est. Cuius contionat *l. cum affirmes. C. de liberali causa.* ubi cum Dominus accepta pecunia libertatem servo promississet nec fidem servaret, Rectori Provinciae precipitur, ut hortetur Dominum ad id, quod placuit, præstandum: quæ verba merum consilium significant. Tandem *l. post certi 36. C. eod. tit.* manifestè id ipsum docet. Post certi temporis, inquit, ministerium ancilla liberatam eam cum ea pacificendo, conventionis obtemperandi lege domina nullam habet necessitatem. Contrarium videtur indicare *l. si servum 70. §. si quis ff. de acquir. hære.* si quis dederit nummos domino, ut manumittatur, puto omni modo huic esse succurrendum. An fortè casus libertatis excipitur, de quo servus cum domino validè paciscatur, quando dubius est servitutis status. In aliis omnibus minimè? Ita sentiunt DD. aliqui & sic conciliare diversa jure conantur Baldus verò, & quidem solus (si Sanchezio credimus) nullam omnino, vel civilem, vel naturalem obligationem sed solius honestatis extali pacto oriri existimat in *l. cum affirmes C. de liberali causa.* Verùm his non obstantibus.

Resp. Dominum ex contractu cum servo suo naturaliter, & in foro conscientie obligari: quod omnes fateri necesse est, si proprium peculium servo tribuerimus. Quis autem neget, servum vel labo- rando extraordinariè, vel ludendo, vel per donationem aliquid acquirere posse?

Non enim, quia servus est, homo esse definit, nec quoad omnia omninò libertatem amisit, teste Arist. 8. *Eth. c. 11.* quod etiam probat textus legis. *Non solum 49. §. si ignorante V. an debitor ff. de peculio.* An debitor vel servus Domino, vel domino servo (obligetur) ex causa civili computandum est? Vbi supponitur, inter dominum, & servū debito locū esse, Vnde sequitur necessariò leges, quæ contrarium loqui videntur, de obligatione civili intelligendas esse. *Mol. To. 1. de iust. Disp. 38. Azor. 11. l. 2. c. 36. Q. 1. Rebellus de iust. par. 2. l. 1. p. 8. sect. ult. Roderic. 111. Q. 19. ar 9 Navar. de re dit. q. 1. Mon. 10. Suarez de iustia Det. Sect. 6. Lugo Disput. 3. Sect. 3. Less. c. 4. D. 4.* Eandem doctrinam valere in religiosis professis, quibus administratio bonorum commissa est, tradunt. *Navar. in c. Non duratis Roderic. l. cit. Mol. D. 273. Jacob de canib. de executorib. uli. volunt. partic. 2. nu. 5. Pet. Nav. l. 3. de res. 6. 1. Rebell. l. 1. Q. 8. Sect. ult. Filliut. Tract. 33. c. 3. nu. 59. Fagund. l. 1. de Contract. c. 20 num. 5. Lessius c. 4. D. 9. num. 78. Sanchez l. 7. Moral. c. 8. num. 16. & seq. reclamante Lugo Disp. 3. Sess. 6. num. 114. Compend Privileg. FF. Minor. V. Conventiones. & Alienatio bonorum.*

DVB. 6. Quid iuris sit de contractu pupilli, & minorum.

R. 1. Contractus minorum annis 25. completis non sunt omnino & absolute validi, quando deest decretum iudicis, & consensus tutoris, aut Curatoris. Ita communiter DD. apud *Mol. Disp. 224. Sanchez de Matrim. l. 6. Disp. 38. Laym. l. 3. Tract. 4. c. 9. n. 7. Onnate Tract. 2. Disp. 4. Sect. 3. Lugo D. 22. Sect. 10.* Ratio est, quia propter infirmitatem ætatis illius,

Ddd 2 & pe-

& pericula damnorum pro forma Contractus valituri Jus instituit auctoritatem Judicis, & tutoris: ita ut alterum sine altero non sufficiat, quemadmodum accuratè probat. *Reinosus observat* 43, *Abb. in c. cum nos num. 5, de his, que sunt à Pralat. Barto. in l. bonorum C. qui admitti. Cardm. Tuschus conclus. 978. & V. Minor. conclus. 252. VVesenbec. in l. 26. ff. tt. 8.* Auctoritatem præstare tutor dicitur, cum probat id, quod agitur, si modò quid agatur, intellexerit. *l. non multum ff. de auctorit. & consensu tutorum.*

DIXI Non omnino validos esse. Valdè enim rationi consentaneum videtur, ut quando pupillus pubertati proximus est, puta, post annum decimum cum dimidio: saltem quoad naturalem obligationem validè contrahat etiam absque consensu tutoris. §. *placuit Institut. de auctor. tutor.* Placuit meliorem quidem suam conditionem facere posse, etiam sine auctoritate tutoris; quæ verba indicant, si in suum commodum pupillus cum majore contrahat, hunc obligatum iri, ita, ut cogi possit ad servandum contractum, licet vicissim pupillus non obligetur: si autem pupillus cum pupillo, vel minore contractum fecerit, neuter obligabitur ex dispositione Juris, quod securitati illorum cautum voluit. Nulla item obligatio nascitur ex alienatione rei immobilis, ut mobilis pretiosæ.

Resp. 2. Minor & pupillus ex contractu suo damnum passus petere restitutionem in integrum potest. *l. 1. & 2. ac toto et. C. si tutor intervenerit. Item l. 3. & 5. C. de integr. restitut. l. 1. & sequentibus ff. de minoribus & ff. de in integrum restitut. l. quod pupillus 41. ff. de condic. indebit. Item*

dicens est; quamvis interveniente decreto Judicis contraxerit: quia auctoritas Judicis tutoris aut curatoris actum valere facit mero jure, beneficium verò restitutionis non excludit. Porro læsus censetur pupillus ubicunq; ita contraxit, ut nulla utilitas inde proveniat. *V. Tholosan. l. 12. c. 3. num. 19. VVesenbec. in C. l. 2. tt. 38. Lessius c. 17. D. 9. Covarr. l. 1. Variar. c. 3. num. 10.* Limita 1. nisi major factus id est, expleto anno ætatis 25. contractum ratificavit. *l. 1. & 2. C. si maior factus Azor III. l. 6. c. 14. §. quæ dicendum.* Limita 2. nisi juramento confirmavit etiam in minori ætate. *Authen. Sacramenta puberum C. si adv. venditionem Gaill. l. 2. obs. 65.* Limita 3. nisi terminum præscriptum neglexerit, qui est annorum quatuor post expletam minorem ætatem. *Azor III. loco cit. Lugo Disp. 22. Sect. 10. Less. l. cit. n. 64. & seq. Fagund. l. 1. de contract. c. 12. Layman. lo. cit. Onnate tract. 2. Disp. 4. Sect. 3. VVesenbecius l. 4. ff. tt. 4. num. 3.*

DUB. 7. Utrum hominis excommunicati contractus validi sint?

Resp. 1. Si excommunicatus beneficium Ecclesiasticum habeat, & contrahat de rebus Ecclesiæ actus ipse nihil valet. *c. veritatis de dolo, & contum. Decius cum aliis multis in c. Pastoralis §. verum de appell. Fernandes in exam. Theol. Mor. part. 2. c. 9. §. 120. Tolet. l. 1. c. 11. num. 4.*

Resp. 2. Contractus excommunicati de rebus civilibus (ut testamenta quoq;) validos esse ita tamen, ut executio suspensa maneat, donec ab excommunicatione liberetur. *Ostiens. in c. Veritatis de dolo & contum. Innocent. & Abb. ibidem. Summa Confessor. l. 3. tt. 33. q. 133. Sil. V. Excom-*

Excommunicatio 3. ci si Henr. Boich. in di. e. Veritatis addens sententiā hanc ipso usu approbatam esse. ibi V. Excom. 3. nu. 2. Suar. V. l. sp. 15. eccl. 8. n. 14. Avila de Censuris Par 2. c. 6. Disp. 6. p. 128. Tolerus. l. 1. c. 11. n. 3. & seq. Fernandes l. cit. angel. nu. 19. Laym l. 5. P. 2. c. 2. n. 17. Avila P 2. c. 6. D. 6. excipiens excommunicatos propter hæresim, vel percussorem alicuius Cardinalis, qui sint intestabiles. c. Felices de panis in 6. Ratio dati potest, quia nullo iure contractus cum excommunicatis iniri reprobantur, esto peccent contrahentes propter prohibitam communionem, ex qua non potest vitium contractibus adferri, ut in valdi repurentur. Dixi, suspensam manere executionem, quia excommunicatus agere contra adversam partem in iudicio non potest iuxta doctrinam. Abb. & Henr. Boich supra Anchorani in c. Pia. §. si quis n. 2. de except. in 6. probatque ex c. Intelleximus de iudiciis. ubi expresse dicitur conveniri non posse excommunicatum: quod explicans Barb. ait conveniri posse ut reum necessarium, & proponere omnes defensiones sibi servientes, & quæ naturam exclusionis habent; qualis est non numerata pecuniæ, debiti non soluti, doli mali, iuramenti, nullitatis, & similia. Si impeditus in propria persona sit, procuratorem constituere debet. Ut reus voluntarius autem non admittitur, quia in hac materia æquiparantur actor, & reus voluntarius. Voluntarium reum appellamus illum, qui ad causam non trahitur, sed iudicium aperit illi viam ad contradicendum, & opponendum. Quod si excommunicatio æstioxi faciat, neq; pro impetranda absolutione sollicitus sit, ne quædam ut reus necessarius audiendus est. Ge-

minian. in c. 1. n. 10. Felin in c. cit. Intelleximus. Hippol singulari 360.

Limita 1. nisi agatur de concernentibus animæ periculum, ubi actoris quoque locollare licitum. *Ostiens. in c. significaver. de except.*

Limita 2. si petere velit revocationem attentatorum. Nam in tali iudicio non obstat exceptio excommunicationis. *Menoch. rem. d. 17. de recuper. poss.*

Limita 3. Cum periculum in mora est, quia tunc censetur non omninò voluntariè agere. *Felinus in c. Cum inter. n. 16. de except.*

Limita 4. quando impeditur facere sibi permissa, ut eiusmodi impedimentum tollatur, 10. *Andr. hic. n. 4. Abb. nu. 7. Felin. nu. 14. Plura V. ap. Barb. in c. cit. Intelleximus.*

R. 3. Matrimonium ab excommunicato contractum validum ac firmum est. *c. significasti de eo qui duxit. & c. cum haberet. eod. V. Navar. c. 27 nu. 36. Ad Sextam. Sanchez l. 7. Disp. 9. V. Par. 3. Tit. 16. §. 11. nu. 5.*

DVB. 8. An Contrahentes se mutuò obligare ad pœnam queant?

No. Pœna apponi contractibus solita Conventionalis appellatur, eò quod non à Magistratu invitit decernitur, sed quia ipsi paciscentes, de ea propter moram, aut fraudem lubeunda conveniunt. Nec dubitare possumus, quin rationi & æquitati consentanea sit. Peccat enim contra iustitiam debitor, alienum ultra tempus, & consensum domini retinens. *l. stipulationum. §. si sortem ff. de verb. oblig. Onnate Disp. 8. sect. 6.* Sed illud minimè liquet, an ea pœna contrahentes in conscientia obliget, vel potius post sententiam iudicis

primùm, quemadmodum pœna legales à Magistratu constitutæ?

R. 1. Pœna conventionalis ante Iudicis sententiam non est necessario subeunda, nisi aliter contrahentes pacti fuerint. *Covar. & alii ap. Az. 1. l. 5. c. 8. Q. 7.* Neque enim alio sine eiusmodi pœna à contrahentibus addi videtur, nisi ut castigare moram, & cogere ad satisfaciendum cunctantes possint. Adde, quod non apparet sufficiens ratio, cur ad pœnam legalem ante Iudicis sententiam nemo obligetur, ut ex communi DD. tradunt; cogatur verò, si à contrahentibus decreta sit. Sic enim faciendo quasi Magistratus, ac Principis officio funguntur. Idem consuetudo videtur approbare, teste. *Nav. c. 23. num. 67.* Ita sentiunt *Adrianus Quodlib. 6. art. 1. conclus. 2. Lopez l. 1. de contract. c. 31. & l. 2. c. 34. Victoria, ut Lopez refert Vasquius. 28. nu. 16. Onnate Disp. 8. Sect. 6. num. 126. Sanchez. l. 1. de Matrim. Disp. 37.* addens neotericos multos idem sentire. Denique ut probabilem agnoscit *Less. c. 20. Dub. 15. Suar. de leg. l. 4. c. 5. num. 8.* ex intentione contrahentium iudicandum esse contendit: ex illa enim pendet obligatio, & quoad illam eorum confessioni standum est in foro conscientie: in dubio verba ponderanda, ac postremo, si consuetudo generalis sit, uti Navatrus affirmat, illi acquiescendum.

R. 2. Si in Contractu apposita fuerit pœna excommunicationis neminem ligat: neque Iudex reum punire debet, aut declarare excommunicatum, iuxta Constitutionem Pii V. in reformatione tribunalis Auditorum Camerae. Nec quisquam, ait, ratione sui consensus in Contractu, seu

quasi Contractu, aut aliàs in iudicio, vel extra iudicium, per se, vel alium quocunque modo, etiam in susceptione, quæ vocant. Censuratum, de cætero præbiti, putè aut sub conditione aut in diem censuris ecclesiasticis innodetur, aut innodatus declaratur. *Ita Pont.* Et meritò. Fieri enim potest, ut qui Contractum non servat, uti pactus est, non nisi venialiter peccet, ratione cuius nemo excommunicari potest; cavendumque sedulo ne ecclesiasticæ censuræ propter abusum vilescant, & contemnantur. *Conc. Triden. Sess. 25. c. 36. Multi. 2. Q. 1. Piascius Par. 2. c. 4. num. 83. Franc. Leo in thesaur. eccles. Par. 2. c. 27. num. 35. Barb. in c. Pervenit. de excessu Pralat.*

R. 3. Pari iure non obligat pactum, ut debitor, non solvens in termino convento, carceri mancipetur. *Aurb. Imò à debitor. C. de act. & oblig. Bald. ibid. n. 3.* In Germania tamen contrarium usu receptum est, & passim carceribus clausi debitores ad satisfaciendum compelluntur, auctoritate prætoris. *l. 3. §. tutores ff. de suspensor. Glo. ibid. in V. Vinculis. Melonius Tit. 13. n. 7.*

DVB. 9. Idemne iudicium de hæreticis sit, quoad valorem Contractuum?

R. Hæretici bona omnia ipso iure Fisco addicta, esse, cumque proprietatem illorum amisisse, adeoque nullam de illis conventionem, aut dispositionem facere posse. Nec interest, occultus aut manifestus sit, modò hæresis ipsius externa sit. Statim namque privatus est domino omnium bonorum in foro conscientie, ita tamen, ut retineat eorum possessionem quousque per sententiam Iudicis fuerit condemnatus. Tunc enim Fiscus sibi

sibi vendicat. c. Cum secund. leges. de hæret. in 6. & hanc omnium sententiam esse pronunciat. Comit. l. 4. Q. 1. *Silvam auctorum apud Barb. in cita. c. Cum secundum, & Sanch. l. 2. Mor. c. 22. inveni.*

Vnde sequitur manifestò, donationem, venditionem, & quemcunq; alienationis contractum irritum esse, & contrahentes cum hæreticis aut accipientes ab iis aliquid siue scienter, siue ignoranter nullum dominium acquirere, sed rescindenda fore post sententiam declaratoriam omnia pacta cum hæreticis inita à die commissi criminis, ac fisco inferenda bona.

At, inquis. Malæ igitur fidei possessores sunt tam multi, qui in provinciis, & regnis, ubi hæreticorum agmina sunt cum illis negotiantur, emunt quotidie, & vendunt.

R. Vbi abundat & crescit iniquitas, legum sæpe remittit severitas. Benignitas Ecclesie permittit, ut bona aliàs sibi debita, quæ consequi non potest Catholicorum manus per mutuos contractus veniant, aliàs omnino peritura. Quamobrem Innoc. IV. Perusii cum esset, Constitutionem edidit, qua Rectoribus & Præfatis suis per Italiam mandat, ut nullum hæreticum patiantur esse intra fines ditionis sue, & potestatem facit omnibus capiendæ, ac spoliandi bonis suis hæreticos, eaq; pleno iure acquirere, ac possidere. Hinc manifestè apparet bona hæreticorum, quæ ad Ecclesiam de iure pertinent, Pontificem Catholicis tribuere etiam per spoliationem erepta. Eandem Constitutionem ab Alexand. IV. & Clem. IV. confirmatam

esse Comit. l. 4. testatur l. cit. ci. fin.

Contractam opinionem, quod hæretici non sint ipso iure privati dominio bonorum suorum, ac proinde validos contractus ineant, cum aliis non paucis probabilibus argumentis tuetur, & confirmat Fagund. l. 1. de Contract. c. 21. num. 9. & seqq. allegans Franc. Suarez. de fide disp. 22. Sect. 2. num. 5. & Sanchez l. 2. Decal. c. 22. num. 31. Ea tamen, quæ responderet ad textum c. cit. Cum secundum. Bona hæreticorum ipso iure decernimus confiscata. minimè satisfaciunt, quia litera apertior est, & clarior, quàm ut tortis quibusdam explicationibus obscurari queat.

DVB. 10. An liceat pacisci cum moribundo, ut post mortem se præsentet, & de suo statu certiores reddat.

No. Comit. l. 4. ita quæstionem proponit, ut non de statu, ipsius animæ, quem in altera vita habet, sed de statu ipsius paciscentis cum anima loquatur, qui scire cupiat, num ipse in gratia Dei sit, vel non sit.

Rt. verò non licere. 1. quia nostrum non est scire, aut pericrutarì ea, quæ cælestis pater posuit in sua potestate. Act. 1. V. 7. 2. Quia liberum non est, animabus defunctorum redire in hunc mundum, & cum viventibus sermocinari. 3. quamvis in numero beatorum recepta anima sit, non idè illorum, quæ apud nos sunt claræ notitiæ habet, neque Deus revelat illis, quæ non interest nosse, quemadmodum. s. Augustin. pluribus explicat in. l. De cura pro mortuis c. 13. & seq. Item l. de Anima & Spir. Quin etiam fatetur, nihil se statuere certi posse, utrum mortuorum appari-

apparitiones ipsorum sint, an verò angelorum imaginem, & aspectum eorum, qui defuncti sunt alsimilantium. *V. Bellarm. l. 2. de Purgat. c. 8. Valent. D. 9. q. 9. pun. 2. Tanner. 4. D. 6. q. 8. D. 5. Sanchez l. 2. Mor. c. 38. num. 25.* Nihilominus preces nostras beatis animabus innotescere constat, vel eas deferentibus. Angelis, ut *S. Dion. indicat. c. 2. de celesti hierarchia.* vel in Verbo videntibus ut *S. Greg. ait l. 12. Moral. c. 13.* quem sequitur *S. Thom. 2. 2. p. 83. ar. 4. ad 2.* Illud, quod decet eos cognoscere de iis quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores cordis motus, in Verbo manifestatur: maximè autem excellentiam eorum decet, ut cognoscant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde. *V. Bellarm. l. 1. de Sanct. Beat. c. 20.* De illis, qui rogati sua causa potius, quàm viventium post mortem redierunt, & quò loco essent, indicarunt, non pauca Sanctorum exempla leguntur, quæ si vera, docent, nihil inconcessum appetere, qui id à morientibus debito fine, ac modo postulant. Nam eiusmodi apparitiones, & nobis, qui adhuc peregrinamur, & illis qui terminum attigerunt, plurimum adferre possunt utilitatis, siue in proprio corpore, siue in alieno appareant. Nam si opis & auxilii indigæ sunt à vivis eleemosynas, suffragia, ieiunia, missarum Sacrificia impetrant, quibus divinæ iustitiæ faciunt satis, & pœnarum diminutionem obtineant, si verò beatorum albo inscripti sunt, apparentibus DEI permisso à nobis honor exhibetur, & non mediocriter gaudium ex rerum nostrarum particulari cognitione hauriunt. Nobis verò quantum boni allatura sit, ipsorum præsentia, non est difficile assequi & pluribus exponit. *Mart. Delrio Disquis. Ma-*

gicar. l. 2. Q. 26. Sect. 3.

DVB. II. Quid consuetudo possit in Contractibus de quibus liciti, an illiciti, iusti vel iniusti sunt, dubitatur?

R. A peritis, & expertis sequentia documenta tradentur.

1. est. Consuetudo iniusta, secundum quam contractus per se illicitus impunè exercetur, non excusat conscientiam à peccato, nec à pœna illi debita in iudicio DEI liberat. *Glo. rece. in c. denique Dist. 4. Silo. V. Consuetudo. num. 18. Armilla. num. 9.*

2. Qui bona fide exercet contractum aliquem in sua regione usitatum, qui ultram sapit, nec tamen ex forma talis apparet, sed dubii, & obscuri iuris est, à peccato excusatur propter consuetudinem. *Bart. in l. Quid si fugitivus. §. apud Laborem. Decius. consil. 170 Nav. cons. 25. nu. 5. et. de usuris* ubi multoties in Vrbe Sanctissimæ Romæ opinione censum esse licitum asserit, in quo 8. pro 100. annuè dantur, manente Salvo capitali. Et quamvis ipse in seqq. reprobare videatur, non sufficit pro absoluta, & generali damnatione. Cum enim iniuria horum contractuum non sit manifesta tolerari poterunt, dicendo, si quid in illis lateat inæqualitatis, à Rep. suppleri, vel sibi mutuo remittere ipsos contrahentes. Præterea, si 5. floreni annuè pro 100. dantur nullo reclamante, unde, rogo, constabit non licere. 6. aut 7. petere? Vnde constat tibi præcisè numerum quinarium iustitiæ mediū esse, non verò minorem, aut maiorem. In mercibus triplex precium admittimus maximum, mitimum, & medium, in censibus annuis cur idem non liceat, nondū ab ullo demonstratum est. *Quamdiu igitur do-*

cur dubium est an contractus hic, ille illicitus sit, qui passim celebratur, si quis bona fide secundum consuetudinem illam operatur, condemnari non debet.

3. Actus, & contractus non propterea licitus censetur, quia palam, & publice fit, quasi consuetudo supplere iustitiam queat, sed efficitur, ut quamdiu contrarium non liquet, operans exculatur à peccato. Consuetudo enim iuri naturali, & divino non derogat. *c. fin. de consuetud. nec veritati preiudicat. c. Veritate. c. Qui contempta. c. Frustra. & c. Si solus Dist. 8. Navar. de Usuris Consil. 26 num. 2. Comitot. l. 3. Q. 10. num. 4.* Sed bona fides, & ignorantia contrahentem excusare potest a culpa, quando de iniustitia contractus non habetur certa notitia, sed à viris doctis, & bonis dubitatur, à quibusdam etiam exerceatur. Quocirca non excusamus eos, qui contra ius clarum, & passim notum operantur, quamvis aliorum idem facientium exemplo se protegant. Non enim multitudo peccantiam minuere culpam potest: nec propterea minus ardebunt improbi, quia cum multis ardebunt. *c. Multi corriguntur 2. Q. 2.*

4. Qui dubitat practicè de iustitia alicuius contractus, quamvis à parte rei iustus, licitus, adeoque frequens sit, in eundo illam contra iustitiam & conscientiam suam peccat. *c. 14. Ad Rom. Vul.* Omne quod non est ex fide, peccatum est, id est, ut *S. Thom. explicat l. 2. q. 19 ar. 5.* quod contra conscientiam agitur peccatum est. *c. Dominus de secundis nuptiis. c. Inquisitioni de sentent. excomm. & communi DD. cum S. Thom. quodl. 8. art. 3.* Quia agere contra conscientiam practicè du-

biam nihil aliud est, quia se exponere manifesto periculo peccandi quemadmodum multis declarat. *Navar. in c. si quis autem de peniten. D. 7. Sanch. l. 6. Moral. c. 3. Bardus Disceptat. 5. de Const. dubia c. 2.*

5. Quando de bonitate & iustitia contractus diversarum probatorum Auctorum opiniones sunt, alterutram sequi etiam minus probabilem in contrahendo licet. *c. Capellanus de feriis, cum Glo. Panorm. Anto. Butrius, & aliis ibid. Innoc. in c. Ne innitaris. de Constit. Alexander l. 2. consil. 1. Ang. Silo. cum al. Summi in V. Opinio Antonin. 1. Par. 11. 3. c. 10. Corrad de Contract. Q. ult. Navar. in c. Si quis autem de penit. D. 7. num. 7. Azor. l. 1. l. 1. c. 16.*

Dixi probatorum auctorum, quia non quicumque thyrigeri, iidem Bacch. Non eadem omnium Doctorum scientia, fides, experientia, & auctoritas est: melioribus igitur aures dandæ, nec uni fidentium in rebus ad conscientiam regimen pertinentibus, sed pluribus, quando illorum copia est. Examinandæ insuper rationes, quibus unaquæque opinio fulcitur. Nam in *c. c. Capellanus*, non quælibet etiam probabilis, sed ea sententia præfertur, quæ meliori & subtiliori ratione nititur. *Vasq. 12. Q. 16. Disp. 62. Sayrum in clave l. 1. c. 6 Valent. 1. 2. Disp. 2. Qu. 12. puncto 5. Sanchez l. 1. Moral. c. 9. Layman l. 1. Tract. 1. c. 5. §. 2. Filliut Tract. 21. c. 14 num. 134. Reginald. l. 9 c. 3. Sect. 1. nu. 26. Tanner. 3. Disp. 4. Qu. 6. Pub. 13. & alii apud Barbos in c. cit. Capellanus de feriis. Adde Binsfeld in c. Naviganti de Usuris.*

§. III.

De quasi Contractibus.

QVemadmodum in Contractu propriè dicto propriè dictus consensus est, ita in quasi-contractu, quasi consensus, indeque illi nomen. Sicubi aliter, speciale, & per accidens est. Etenim nobis quoque in vitis peraguntur, ut in tutela, & negotiis gestis patet, in quibus cum nihil a nobis actum aut pactum sit, præsumitur adesse consensus. Tutorem pupillo Iudex dedit. Negotia mea Titius ultro suscepit, & expedivit, quia æquum est annuere, & approbare, leges inter nos conveniunt esse credunt. *Quasi contractus* igitur veris, & perfectis contractibus similes quoquo modo sunt, eorundem conditione quantum res ipsa patitur, æmulari videntur. *Fagund. l. 1. c. 2.* sic definit. *Quasi contractus* est obligatio, qua quis obligatur alteri non ex aliquo contractu vel delicto, sed ex officio, aut facto honesto, licet non interveniat, expressa voluntas utriusque. Illorum genera alii aliter numerant. Magis præcipui sunt isti octo. Mandatum, Negotia, Tutela, Cura, Acceptilatio. Communio rerum. Hereditatis aditæ & indebiti soluti de quibus ordine agemus. *Socius in l. 3. Inst. tit. 27. Azor. III. l. II. c. 23. Schneidev. l. 3. Inst. tit. 28.*

I. *Mandatum* est gratuita susceptio aliquid exequendi, quod alius, formaliter, aut virtute illi iniungit. Ita colligitur ex *l. 1. §. ul. ff. Mandati & Inst. eod. tit. §. ult. iuncta annot. in princ. 1.* dicitur *Gratuita susceptio* quia ubi de mercede conveniunt est, in conductionem, & locationem

operarum transit. 2. *formaliter, aut virtute.* Nam qui videns in sui gratiam aliquid fieri tacet, consentire, & mandate censetur. Atque ita differt mandatum à negotiis gestis, quod gestor negotiorum dicitur is, qui in gratiam aliorum agit, ipsis ignorantibus: mandatarius autem agit sciente mandante. *V. Vesenbec. ff. l. 17. tit. nu. 6. Molina Disp. 548. Toloſan. l. 27. c. 3. Connanus, l. 7. c. 14. num. 6.* Vnde patet esse contractum nominatum, & solo consensu qualitercunque expresso perfici, per verba *Volo, rogo, mando* Nec repugnat inter absentes fieri, idque ad certum tempus, aut sub conditione, si hoc vel illud eveniat. *l. Iuris gent. ff. de pact. l.*

II. *Mandatum ad honesta & licita tantum dirigitur. l. Lucius §. pro infante ff. ad municipales.* Si quid pro illicito aut turpi opere mandatarius acceperit, restituere tenetur. Si autem executus fuerit, retinere, cum moderatum est, potest. In foro externo Fiscus sibi vendicat. Damna primario compensabit Mandans, illo deficiente mandatarius, & in utroque foro, nec deerit subsequens reum pede pœna claudo. Non totam exhaustiet mandatarius terminis mandati prætergressis. Quantum arbitrabitur Iudex Mandans percussorem tantum, homicidii à mandatario facti, reus non est; nec illius pœnâ, sed minore plectendus. *l. diligenter. ff. Mandati Schneidev. l. 3. Inst. tit. 27. §. Is qui exequitur.* Et generaliter quæcunque contra mandatum fiunt, irrita sunt. *Silv. V. Mandatum ci fin.*

III. *Procurator ad negotia* dicitur, qui instrumentum accipit à mandante (est enim ipse quoque mandatarius) ad aliquid agendum loco, & nomine ipsius, in, vel

extra iudicium. Vnde actiones directæ, & principaliter non sibi, sed mandanti acquirunt; rationem officii sui reddere tenentur, omniaque iura acquisita domino tradere. *l. qui proprio § procurator. ff. de procurat.* In procuratore ad negotia ætas 17. annorum, in procuratore iudiciali 25. requiritur. *c. qui generaliter. § ult. de procur. in 6 l. minor ff. eod.* Nec deputare suo loco alium potest procurator iudicialis, quod tamen illi ad negotia constituto permittitur. Mandatarius regulariter non tenetur, nisi de dolo, & culpâ latâ; quia ordinariè mandatum fit in gratiam solius mandantis. At quando fuerit in utriusque commodum, etiam de levi tenebitur. Mandans vicissim mandatario tenetur de casu fortuito, quem prævidere potuit. *l. Nefennius ff. de nego. gest. § si quid damni passus mandatarius, compenlabit. l. heredem 14. l. si mandassem 15. ff. Mandatur. Laym. l. 3. tr. 4. c. 26. n. 3.*

IV. Mandatum procuratori ad lites datum, post litem cœptam, vel iudicium non licet revocare mandanti, *l. si procuratorem ff. Mandati.* Ante inceptam litem verò liberum est, mutare, & revocare, quisquis de non revocando iurasset. Valida enim, licet vitiosa actio erit. Quin etiam post mandantis mortem durare potest mandatum: 1. si in gratiam mandatarii factum sit. 2. si eiusmodi sit, ut post illius mortem completi debeat. 3. gratia, & favore dotis. 4. gratia libertatis. 5. causa liberandi debitorem. 6. gratia, religionis, & fidei. 7. si à Papa alicui delegata potestas sit. 8. legati latere potestas durat, etiam mortuo Potestice. 9. si sub nomine dignitatis alicui potestas delegata est. 10. si princeps dicat,

se mandare iurisdictionem donec revocaverit. II. in gratiam causæ piæ. 12. quando mandatum datum est, donec filius in futuro perstiterit, si decedat in eo, non finitur ipsius morte mandatum. *l. Ambiguitatem. C. de V. usufr.*

V. Porro mandatum expirat 1. per revocationem mandantis re integra, id est, nondum inchoato negotio. *§. Reclè Instit. de mand.* Etiam cum detrimento non maximo mandatarii. *Gutierrez l. 3. q. 11. n. 24. 2.* si mandatarius, dum res integra est, tempestivè renunciaret, ut res per alium expediri queat. *Instit. eod. § l. si mandavero ff. eod. 3.* Morte mandantis, exceptis casibus num. præced. enarratis. Si autem mandatarius ignorata mandantis morte rem executus fuerit, succurritur ei ex æquitate, ut actionem mandati habeat, ne damnum sentiat in iusta, & probabili ignorantia. *l. Inter causas. ff. mandati. 4.* denique ipsius mandatarii morte, præsertim si res integra sit. *Soacius in l. 3. Instit. et. de mandato. §. Reclè quoque. Laym. l. 3. tr. 4. c. 27. num. 6; Ostermannus §. 10. tr. 27. l. 3. Instit.*

VI. Actio mandati duplex est: Directa & contraria. Directum habet mandans contra mandatarium, qui mandatum recepit, & non complevit, vel cum dolo culpâ, aut damno mandantis executus est: vel denique mandati fines egressus est. *l. Si procuratorem. §. Mandati actio. ff. Mandati.* Contraria convenit mandatario eiusque heredibus contra mandantem, quia peractis, ut oportebat, negotiis ius habet petendi impensas, quas necessitudo vel utiliter fecit propter mandantem, *l. diligenter l. idemq; ff. mandati.* Eadè actio

Ecc 2

datut

datur etiam procuratoribus & fideiussoribus. §. si quid autem ff. de fideiuss. Item illi, qui pro alio promittit animo novandi. *Onnate Disp. 44. Sect. 3. Kling. l. 3. Inst. et de mandato. Mynsing. in §. igitur. Inst. de obl. qua ex quasi contr.*

VII. Interest reip. & singulorum, ut absentium res & bona conserventur, ideoque lege statutum est, ut qui id fecisset, domino teneretur, & hic vicissim illi. Hinc negotiorum gestorum Quasi Contractus, ad quem nullo mandato opus, ne cum præcedente coincidat, sed, utiliter negotia gessisse sufficit. Quatuor modi sunt. 1. cura, & officio, ut in tutore, curatore, procuratore, & similibus accidit. 2. re ipsa, cum in utilitatem alterius aliquid impenditur, quamvis illius intuitu non sit factum. 3. ratihabitione, cum, quod unus nomine alterius gessit, hic ratum habet, & nisi ratum haberet, nihil ad eum pertingeret. 4. ipsa actione negotii gessi, ut si quis creditori alterius soluat, eo absente, vel ignorante. Quamobrem obligatio consurgit, in genere quidem ad reddendam rationem eorum, quæ gessit, & soluendam, si quid ad se derivatum est: in eo autem, cuius gratia actum est, actio directa ad exigenda ea omnia, quæ sui causa præstita sunt, ut in simili de Mandante dixi n. præf. V. *Onnate Disputat. 47. Sectio. 1. & seqq.*

VIII. Negotiorum gestor, quando solius absentis intendit bonum, non nisi de dolo, & lata culpa tenetur. *l. si negotium. ff. de negot. gessis.* At de levi quoque si utriusque utilitas intendatur, Ita fieri solet in procuratoribus, administratoribus, & aliis, qui res aliorum stipen-

dio conducti administrant. De fortuito casu regulariter non tenetur *l. cit. si negotium.* nisi dominus monuisset, ne ageret negotium, nisi cum obligatione ad casum fortuitum. Adde, insuper obligatum iri, 1. ex morâ culpabili ratione cuius res æquo diutius apud gestorem mansit, & propterea perit. 2. Si causam dedit, puta incendio, ut periret. 3. Si insolenti modo aggressus est negotium, indeque damnum factum est. Sic enim de fortuitis quoque teneretur. 4. Si inchoaverit, & non perfecerit. E contra is, cuius negotia aguntur, de expensis tenetur, nisi præcesserit monitio, de abstipendo, & nisi maiores factæ sint, quam rei gessæ sit utilitas. Denique ut in Mandato ex negotiis gessis duplex actio nascitur. Directa competit domino adversus gestorem ad exigendam rationem omnium quæ gessit. Contraria gestori competit, ut exgat, quod merentur expensæ, industria, & opera collatæ. Vtramque personalem esse liquet ex *l. pan. C. de negot. gestor.* & transire in hæreses utrimque ex *l. 3. §. hæc autem ff. eod. Mol. Disp. 554. Azor. 3. l. 9. c. 8. Ostermann. §. 1. tit. 28. l. 3. Inst. Oldendorp. Classe. 4. Actio. no 24. Schneide ov. §. de act. neg. gest. Inst. de action.*

IX. Tutorem vocamus, qui pupillum, vel pupillam morte patris, vel emancipatione sui iuris hæritum, vel factum tuetur. Tutelam ius, seu potestatem in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem sponte se tueri nequit, à jure civili datam, aut permissam §. Est autem Inst. de tutela. & Interpretationem ibid. Qui verò curam alicuius minoris gerit, à patre datus Curator appellatur. Et quia

Et quia tutela pubertate adepti in maribus anno 14. feminis 12. completo finitur, exinde Curatori subduntur usque ad annum vicessimus quintus. Tutorem nominat vel testator, vel Prator, vel ipsi ius; quam ob rem tutela alia est testamentaria, alia legitima, alia dativa. *Instit. quib. mod. tutela finitur. Azor. l. 5. Sum. tit. 2. Silv. V. tutor q. 1.* Clerici quamvis ab intestato succedant, ad tutelam non coguntur; legitimam verò, & dativam admittere possunt. *c. fin. Dist. 76. c. Cyprianus 21. q. 2.* Monachi quoque cum Superiorum licentia. *c. Monachi 2. 16. q. 1.* Miserabilium personarum tutelam omnes suscipere tenentur. *c. 1. Dist. 88. & ad id per Iudicem Ecclesiasticum compelli possunt. Barb. in c. Cyprianus. 21. q. 2.* Episcopus per Archipresbyterum, vel Archidiaconum administrare debet. *Silv. V. tutela q. 7. Tuschus Conclus. 418. & 419.*

X. Officium, & obligatio tutoris est 1. ut pupillos à criminibus, 2. ut res illorum ab injuria conservet. *c. 11. q. 1. 3.* ut pecuniam, aliaque mobilia quæ conservata fructum non ferunt, convertat in prædia, ex quibus emolumentum habeant. Alias pupillo tenetur præstare damnum, quod ex carentia fructuum emergit, nisi impotentia, vel difficultas excuset. Præterea Inventarium conficere tenetur de rebus pupilli. *l. tutor, qui reportorium ff. de adm. tut.* Eadem Curatoris obligatio est; à qua tamen liberari potest à Iudice, vel consuetudine. *Silv. num. 4. Armilla n. 3.* De modo conficiendi *V. Mynsinger, Centur. 6. observ. 39.*

XI. Mulieres etiam iure *Cod. & Auth.* ad tutelam admittuntur ita, ut mater, & avia vellet (non enim cogitur) suscipere

possint tutelam filiorum, & nepotum, sed renunciare debent primò quidem secundis nuptiis, deinde beneficio Velleiani, quo cavetur, ne jus adversum mulieres dicatur, quæ fidejussionibus & mutationibus pro aliis intercesserunt. Quòd si mater ad secundas nuptias transierit, vel incontinenti vixerit, tutelam continuò amittet. *l. fin. C. quando mulier officio tutela fungatur. Molina Disp. 220. Onnatus Disp. 36. Sect. 6. Silv. V. tutela c. fin.* De actione, quæ pupillo & hæredibus illius adversus tutorem, & quasi tutorem competit. *V. Oldendorp. Classe 4. actiane 31. & 32.*

XII. *Acceptilatio* propriè loquendo, non est quasi contractus, sed annumeratur propter imperfectionem suam, quia tollit potius, quàm inducit obligationem, ut meritò distractus appellari queat. Interrogante debitore creditorem suum acceptumne, seu solutum habeat debitum, aut remittere velit? si creditor respondeat, se acceptum habere, seu remittere, extinguitur debitum, & cessat obligatio illius. Unde liquet, utrimque consensum intervenire, ratione cujus in numero Contractuum reponitur; sed quia præcedens obligatio destruitur, nomine distractus à quibusdam intitulatur. Deinde verbis perfici potest per stipulationem, quæ Jure Civili introducta est pariens obligationem, cui dissolvendæ eodem jure *Acceptilatio* seu imaginaria solutio inventa est. *§. Item per acceptilationem Instit. quib. mod. toll. oblig.* Porro acceptilatio duobus modis fieri potest. Per simplicem formam stipulationis, & per Aquilianam, cujus auctor est *Gallus Aquilius. Mynsinger. V. à Gallo Instit. l. cit.* Hæc locum habet in

Ecc 3 alia

aliis obligationibus quæ ex contractibus Jurisgentium originem trahunt, & tolli nudis verbis non possunt, quando re, aut consensu perfecti sunt. Igitur transferendæ sunt per stipulationem Aquilianam, ut inde fiat acceptilatio. *Titius* ex. gr. mihi debet 100. aureos ex mutuo, & tantundem, aut amplius ex emptione. *Dico illi. Titi,* promittisne mihi ex causa stipulationis omne illud, ad quod mihi ex quacunque alia causa obligatus es? si promittat, omnes prædictæ obligationes transfusæ sunt in stipulationem, ad eod, ut jam non censeantur re, aut consensu contractæ, sed verbis tantum. Post hæc *Titius* debitor interrogat creditorem. Habesne acceptum, quod hodie per æquilianam stipulationem tibi promisi? si respondeat creditor, acceptum habeo, sublata est obligatio, & *Titius* omni debito liberatus.

XIII. Unde patet, inter effectus illius meritò numerari: solutionem, cui æquivalet *Bart. in l. si marito ff. solu. matr.* 2. vim pacti de non petendo. *l. cum empror. ff. de rescind. vend. & sapere donationem: nisi fiat à procuratore, qui non habet speciale mandatum, Bart. in l. an inuicili ff. de acceptilat. 3. tollere actionem realem, personalem, & mixtam. l. ut responsum C. de transact. & Bart. ibi. 4. statim perfectam esse, & trahere secum executionem, Bart. in l. Merum ff. quod metus caus. 2. Notandum verò, si acceptilatio fiat mulieri, quæ fideiussit pro debitore, non liberabit debitorem. *Bald. in l. Senatus C. ad Velleianum. Romanus Consil. 46. verb. aut enim Tuschus Conclus. 73. n. 13. 14.**

XIV. Quasi Contractibus annumeratur *Communio rerum, & quasi Societas. Item si inter insit. de obligat. que quasi ex*

contra nasc. Exempl. gr. *Petrus, & Paulus* rem aliquam communem habent, puta, hæreditatem testamento relictam, vel re ex legato, aut donatione acceptam, tunc si alter fructus colligat, alteri dimidiam partem dare tenetur, non quidem ex contractu, cum nullus præcesserit, sed ex quasi contractu, nimirum communionem bonorum. Pari modo si unus illorum necessarias, vel utiles impensas fecerit, ad dimidiam partem consors obligatus est. *Vvesenbec. l. 3. Cod. cit. 38. Laym. l. 3. tract. 4. c. 28.*

XV. Hæres quoque, ut in *cod. tit. dicitur*, legatorum nomine, non propriè ex contractu obligatus est, (neque enim cum hærede, neque cum defuncto ullum negotium legatarius gessisse propriè dici potest) & tamen quia ex maleficio non est obligatus, quasi ex contractu, debere intelligitur. Sed unde, *inquis*, nascitur hic quasi Contractus? Resp. adeundo hæreditatem hæres quasi contrahere videtur *l. apud Iulianum. §. fin ff. quib. ex caus. in pass. eatur.* Similiter *peritio hæreditatis* est ex quasi contractu, cum is non contraxerit, qui possidet pro hærede, vel pro possore, nec etiam deliquit: unde sequitur, ex quasi contractu esse. *Azor III. l. 1. de contract. dubii c. 25.*

XVI. Denique ille, cui quis per errorem non debitum solvit, quasi ex contractu debere videtur. Ad eod enim non intelligitur, propriè ex contractu obligatus esse, et si certior in rationem sequamur, magis ex distractu, quam contractu possit dici obligatus esse. Nam eo ipso, quod solvit, aliquid negotii contrahere videtur. *ff. de condit. l. si in areâ.* Obligatur autem qui indebitum accepit, benignè

benignitate inspectâ, quæ prævalere debet, quia æquum non est, quinquam locupletari cum alterius damno & iactura. *nam hoc natura ff. de condit. indeb.* Igitur qui sic læsus est, conditione indebiti repetere potest, quod ignoranter expendit. *Mol. D. § 67. Accursius. Soat. Schneid. Kling. & al. in cit. tit. de obl. Az. III. l. XI. c. 25. Osterman. §. 6. tit. 28. l. 3. Instit. Fill. tract. 39. c. 10. cit. fin.*

§. IV.

De adimpletione, & abolitione Contractuum.

LExat in l. *Decretal. tit. 23. de solution. & l. 3. Instit. tit. 30. quib. modis tollitur obligatio*, ubi promissionum, & contractuum fines explicantur, quibus ut, quæ desiderantur, addamus, nosse cum primis oportet, tribus potissimum modis satis fieri creditoribus adimpleri contractum, & desinere obligationem. 1. per remissionem, seu condonationem creditoris, prout quisque ff. de solut. 2. per exhibitionem, seu præstationem ejus, quod debetur. §. 1. *Instit. quib. mod. toll. obl.* 3. aliunde per fortunam, aut casum, quo debitorum voluntas & potentia retardatur. *l. si ex legati ff. de verb. oblig.* Deinde solutionem sumi posse generaliter pro omni liberatione quocumque modo fiat. *l. solutionis verbum ff. h. t.* specialiter verò pro naturali præstatione ejus, quod debetur. *l. 49. & l. par. ff. eod.* Debitor autem hic vocatur, non tantum principalis, sed etiam fidejussor, & hæres, ille, quia sponde suscepit obligationem, hic quia succedit in locum defuncti. *l. fin. §. fin. verò ff. de jure de liber.* Pari modo successor in Ecclesiâ, qui quis non sit hæres propter successio-

nem debitis relictis satis facere debet, modo pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ contracta sint. *c. 2. de solution. Barb. & Valens. ibid. Fillint. tract. 39. c. 10. n. 172.*

II. Omnem obligationem tollit solutio, sive per principalem debitorem, sive per fidejussorem, aut hæredem fiat, imò quemcumque etiam inscio vel invito debitore. Nam Jus civile vinculum tunc solvit: & beneficium invito conferri potest, non obstante *Reg. Jur. ff. l. invito beneficium non datur.* Illa enim Decis interpretate, locum habet, quando agitur de solo interesse illius, cui beneficium confertur, non verò cum agitur de interesse alterius privato, aut publico. Potest enim quis solvere pro alio invito, cumque liberare obligatione, quia agitur etiam de interesse creditoris. *Castrensis in l. solvente ff. de nego. gestis.* Similiter præ condemnatione ad amputationem manus, vel pedis, nisi infra mensem 100. flor. solverit, solvere quis potest, & repetere, quantum eumque reclamet damnatus, seque juret redditurum non esse. *Bart. in l. Stichus de peculio legato.* Interest enim Reip. cives conservari incolumes. *l. cum ratio §. penult. ff. de bon. damnator.* Creditori tamen invito non est aliud pro alio obtrudendum, cum rationes illi deesse non possint quare non nisi specificam accipere solutionem velit. *Accursius in §. Toll. Instit. quib. mod. toll. obl. V. Schn. §. in bonâ Instit. de compensat. Gail. 2. ob. 73. n. 8.*

III. Solutio alteri facta, quia creditori, tollit obligationem debitoris in his casibus. 1. si creditor mandaverit debitori, ut alteri alicui tradat, & deinde mandatum revocet, tunc si ante notitiam revocationis res tradita fuerit, liberat ab obligatione debitorem, quamvis aliqua

casu

casu perierit. 1. si verò procuratori ff. eod. Schneidevvin. l. 3. instit. tit. 30. V. Vesenbec. l. 46. ff. tit. 3. 2. Cum res in individuo determinata debetur, v.g. hæc vestis holerica, & tradita nuncio ad deportandum creditori, siue is à creditore designatus sit, siue non, modò in ea tradenda non intervenerit culpa tradentis, creditori perit, & debitor obligatione solvitur, nisi fortè de culpa levi, & casu fortuito promississet. 3. Similiter creditori perit res, quæ in determinata illi, quem ipse designavit tradita, antequam deferretur, perit. Censetur enim ipsi creditori commissa, & tradita. l. solutam ff. de solut. Idem dicendum, si procuratori creditoris ad id mandatum habenti traderetur. Contrarium accidit, cum non species rei, sed quantitas debetur. c. un. de Commidato. Abb. Ostiens. Sylv. V. solutio q. 5. Azor. 111. l. 4. c. 33. ci. fin. Less. c. 16. Dub. 6.

IV. Quando facienda solutio sit, terminus præfixus docebit, absque alia monitione. l. magnam C. de contrah. & commit. stipul. Illo transacto & neglecto debito ad compensanda damna tenetur, & poenam, si quæ apposta fuit. Excipe, nisi in Jure concedatur purgatio moræ, ut in Emphyteusi Ecclesiastica, si pensio non solvatur intra biennium, cum aliàs singulis annis certo tempore præstanda esset: quod quia speciale est, non debet applicari temporalibus, ut Sylv. notat. V. Emphyteusis num. 9. Ecclesia enim mitius agit, & minus in poenas prona est, quam Magistratus secularis. Quamquam nihil absurdi video, si ex benignitate Juris, & æquitate quadam Canonica in omnibus moræ purgatio admitteretur. V. Mol. D. 564. Ubi solutioni certum tempus

constitutum non est, exigendum erit à creditore debitum, ut in mora constituat. l. magnam citatâ. Cum verò non exigat, nulla quod constat, causa impeditus, securum videtur reddere debitorem, ut saltem graviter non peccet, cunctando. Nam si sciens volens indebitum solvendo censetur donare illud; l. indebitum C. de condit. indeb. etiam qui memor. debitorum ea non exigat, negligere, & remittere censeri potest. c. fin. de locato. Bald. l. 2. Consilio 20 Bald. Angel. Abb. quos sequitur Sylv. V. Mora q. 1. Angelus. eod. num. 1. Onnatio de contractib. Disp. 9. Tuschus conclus. 352. & 353. Azor l. cit. c. 34. q. 2. Lessius c. 15. Dub. 8. Castrens. Conf. 178. De ordine reddendi, aut solvendi debita V. Navarr. c. 17. n. 47. & seq. Reginald. l. 15. c. 17.

V. Ad solutionem refertur Acceptilatio, quemadmodum ad corpus umbra, de qua dixi § præc. num. 12. Huic proxima & affinis est Novatio, per quam obligatione priori extincta nova constituitur. l. 1. §. Novatio ff. eod. ut si quod debes ex contractu emptionis mutetur in stipulationem. Nec interest, qualis obligatio præcesserit naturalis, an civilis consensu, re, verbis, aut literis contracta. Omnis enim obligatio verbis novari potest, etiam ea, quæ jure gentium introducta est: in quo differt ab acceptilatione, quæ civiles tantum tollit. Ad hoc autem ut Novatio effectum suum consequatur, necesse est, 1. ut sequens obligatio teneat, aut civiliter aut naturaliter tantum. Unde cum infante aut servo si fiat, irrita est. 2. ut novatio fiat per stipulationem. Nam si alio modo per pactum scilicet prius debitum, deduceretur in constitutum, 3. ut hoc expressè agatur ut novetur obligatio.

Obligatio: aliàs duæ erunt obligationes, & ex utraq; dabitur actio creditori. *Bart. & DD. in l. 2. ff. de novat.* Notandum prætere, quod Novatio duplex est. Voluntaria nimirum & necessaria. De voluntaria jam dixi. Necessaria fit in iudicio per litis contestationem. Et dicitur hæc improprie novatio, utpote non prioris obligationis mutatio, sed novæ qualitatis adjectio: sicut illa quoque improprie Novatio est, quæ fit per sententiam, & dicitur novæ actionis cumulatio. Cæterum effectus Novationis est prioris obligationis cessatio cum hoc expresse agitur, ut fiat novatio: aut saltem ope exceptionis, quâ do tacite hoc agitur. *Gl. in cit. l. 2. de novat. Sacc. l. 3. Inst. §. præte. et. 30. Lay l. 3. tr. 4. c. 32.*

VI. Sequitur *Compensatio*, quæ debiti, & crediti inter se contributio est. *l. 1. ff. de compens. eo sine inventa*, quæ interest nostra potius non solvere, quam solum repetere *l. 3. ff. eod.* Admittitur, quando utrimq; debetur quantitas, ut una possit vice alterius fungi propter omnimodam similitudinem. Unde speciei ad speciem regulariter non est compensatio, nec speciei ad quantitatem: præterea requiritur, ut debitum sit compensandum liquidum, aut saltem proximè liquidandum. Iniquum est enim ab altera parte, quæ jam penè convicta est, apponi certo, & indubitato debito compensationem, & hæc ambagibus spem propinquæ condemnationis excludi. *Mol. D. 560. Omn. de contr. Disp. 8.* Affinis compensationi est *Reconventio*, cum ex duobus sibi invicem debitoribus alter alterum in iudicio cõvenit de solutione: & hic intentata simili actione, quod sibi debetur, exigit. Quod in compensatione non fit, quâdo id, quod actor debet reo,

non est civile sed naturale debitum. In hoc enim non actio, sed expressio permittitur. *l. Etiam ff. de compensat. V. Filiut. tract. 39. c. 10. num. 168.*

VII. Præter hos modos Contractum adimplendi, & extinguendi numerantur alii septem, quorum 1. est consusio, ut si debitor fiat hæres creditoris, vel e contra. Tunc enim bona confunduntur, & idem homo creditor & debitor efficitur quod quia leges non permittunt, desinit obligatio. *l. debitori C. de pact. & l. si delicti cred. ff. de fideiuss. 2. est oblatio, consignatio, & depositio, de quib; V. Schneidervi 3. Inst. et. 30. Nav. c. 17. n. 44. 3. Chirographi redditio. Creditor enim illud restituendo debitori, videtur pactum facere de non petendo *l. 2. ff. de pact.* In redditione pignoris non præsumitur: cum aliis de causis fieri possit redditio *l. 3. ff. eod.* Quod si debitor instrumentum habeat penes se cancellatum, & alleget se liberatum à creditore pacto de non petendo, probare debet instrumentum sibi à creditore redditum esse si verò alleget, se liberatum solutione, præsumitur liberatus, nisi sit persona domestica, quæ facillè surripere instrumentum posset. *l. si Chirogr. ff. de prob. Bart. & DD. in di. l. 2. de pact. Schneid. l. cit. n. 19.* 4. est iuramentum. Si creditore debitum exigente non tamen sufficienter probante debitum esse, in iudicio conventus neget iuramento se non debere. Liberabitur enim ab obligatione, nisi fraudulenter agat, sciens contrarium. Tunc enim coram Deo manet obligatus. *Bart. in l. qui iurasse. ff. eo. 5. est sententia Judicis, quæ in re dubia valere potest ad tollendam in conscientia debiti obligationem. 6. interitus rei sine culpa debitoris l. si ex legali ff. de verb. oblig.**

F ff

7. deni.

7. demique præscriptio, quæ si perfecta, & completa fuerit maxima & minima debita tollit, privando creditores potestate sua exigendi, quâ tot annorum spatium ubi neglexerunt. *c. ad aures. de præscriptionib. c. Vigilant. eod. l. sicut in rem 3. C. de præscrip. 30. & 40. ann. ubi nec actiones reales, nec personales ultra 30. annorum spatium protendendas esse definitur. Cov. in Reg. possess. par 3 §. 2. Tiraq. de præscr. §. 1. Glo. 2. n. 13. Gutier. l. 2. q. 1. n. 24. Mol. Disp. 560. Ess. 6. 6. Dub. xi. n. 36. Socin. Reg. 1. Debitor speciei*

Onnatu contr. Disp. 21. Tusch. in v. debitor. Concl. 55. & 56. Hartm. l. 2. et 7. addens, sicut debitor compellere potest creditorem, aut restituat sibi instrumentum debiti soluti per conditionem sine causa. l. dissoluta C. de condact. ex l. vel si non extat, novum conficiat de completâ solutione, ita quandoq; compelli debitorem posse ad faciendum instrumentum, quo fateatur illud, quod solvit, debitum fuisse ex tali causa, ne postea dicat indebitum à leolutum esse. l. plures C. de fid. instrum.

TITULUS VIII.

De Contractibus gratuitis, & Lucrativis.

§. I.

De Deposito.

AD particularia descendentes ipso agnatæ spei & cupiditatis impulsu in lucrativas Conventiones incidimus, quasi jam reperta fortuna. Hos quinario numero plerique DD. comprehendunt, & enumerant hoc ordine. *Depositum, Donatio, Commodatum, Precarium, & Mutuum.* Vel enim res gratuito datur in utilitatem, dantis tantum, & est depositum, vel in gratiam accipientis, & tum vel traditur liberè quoad substantiam estq; donatio vel quoad usum duntaxat, & est Commodatum, aut precarium. Si autem detur quoad substantiam & usum simul cum obligatione reddendi in eadem specie, erit Mutuum. Ad donationem quæ pertinent, supra per occasionem Tit. 1. §. 3. expedivimus. Reliqua ordine declarabimus.

DEpositum aliud est propriè, aliud impropriè dictum: hoc admixtum habet alium contractum, puta locati conducti, si pretium detur, aut mutui. Si non reddendum sit idem numero; illud definitur *Contractus, qua res aliqua alteri custodienda traditur, ut restituat integram. l. i. ff. de positi.* Dicitur 1. *Contractus, quod illi genus. 2. res aliqua traditur & ut plurimum mobilis. Loco differentie sunt. Idè enim deponitur, ut servetur, nec dominium illius nec usufructu translatio. Distinguitur itaque à Mutuo, ubi dominium transfertur; à Commodato, in quo conceditur usus; Pignore, quod datur in cautionem. Precario, in quo etiam usus conceditur, sed ad placitum. A Contractibus onerosis*